This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`


Villa
noua
Syru
ratio
615
Ser
9m
R

Syruporum vniversa ratio, ad Galeni censuram diligenter expolita.

Cui, post integrā de concoctione disceptationem, præscripta est uera purgandi methodus, cum expositione aphorismi: Concocta medicari.

Michaële Villanouano authore.

Πρὸς τὸν φιλίατρον.
Εὔροα ποιήσων τάτε σώματα, τάτε πεπάνων
Ὠμὰ χυμῶν, τάυτης δ' ὄγματα ἴσθι βίβλου.

PARISIIS
Ex officina Simonis Colinæi.
1537

BIBLIOTECA DEL COLEGIO DE S.S CARLOS

AD LECTORES.

NOndũ erat mihi animus, viri ſtudioſi, gra uem hãc, & à multis formidatã prouinciã, imbecillis meis humeris gerendam ſuſcipere: niſi ſtudiũ iuuãdi rẽ medicã, Galenici dogmatis iuſta defenſio, ipſéq; in primis veritatis amor, vel nolentẽ cõpuliſſet. Iuuabitur autẽ cãdidata medicinæ iuuẽtus, ſi nõ contemnẽdã θεραπευτικῆς partẽ, quæ in præparatoriis potionibus, & purgatoriis pharmacis, ſolet cõſiſtere: hoc vnico libello ab omni iniuria ſibi reſtitutã, vindicatámq; norit. Hoc inquã libello, quæ morborum ſit maturatio, quæ potentiæ cõcoctricis actio, quæ vera ſyruporũ functio, & qua methodo ſit illis vtendum, velut res noua ex veteri dogmate ſuſcitatur. In

eo quoq; Galenū mihi ita conciliaſſe puto, vt futurū non dubitē, quin pro nobis ſententia feratur, ſi æquus iudex nobis cōtingat: & ſi quis veri ſtudioſus hæc diligentius perpendat, huius lectionis eum nunq; pœniteat. Illud obiter monēdus eſt lector, me nō eſſe illum, quē corrupta quadam in Fuchſiū apologia depingit Cāpegius, ſtudioſum Arabū ſectatorē, & digeſtiuorū ſyruporū Campegianū defenſorem: cùm ego Arabas ipſos cū Cāpegio negligēdos, ſyrupos verò nec eſſe improbādos, nec barbaro more admittēdos, potius crediderim. Tenues inſuper ſuccos à principio nō eſſe educendos, mihi licēter imponit: cū id nec verū ſit, nec à me vnq; excogitatū. Sed illo dimiſſo, Gale. appello. Ad cuius ego cēſurā, tāq; πρὸς τὸ ἐξεθειασμένον, hāc de ſyrupis tractationē redigere totā cōtēdi. An verò quod ponè ſequebar, ſim aliqua ex parte aſſequutus, veſtrum erit, cādidi lectores, iudicare.

IN SYRVPORVM VSVM PRAEFATIVNCVLA.

MVnere quodam diuino, Galeni γένεσιν καὶ παλιγγενεσίαν, ad varios mortaliũ caſus neceſſario cõceſſam, rei ipſius admiratione ducti, cogimur ꝓfiteri. Fuit enim antiquis natus, vt medicinam cũ ſuo Hippocrate, profunda caligine obrutã, in lucẽ reuocando ſuſcitaret: vt Theſſalios, Eraſiſtratios, & alia id genus portenta, à quibus ars diuina fuerat commaculata & diſcerpta, profligãdo interimeret. Renaſcitur verò felici noſtro ſeculo, vt ſeipſum turpius deformatũ, in priſtinum candorem reſtituens illuſtret: vt ab Arabum copijs occupatam arcẽ, velut poſtliminio reuerſus, eripiat: & ea, quæ corruptis barbarorũ ſordibus fuerant cõſpurcata, repurget. Quæ omnia, cùm ſint liquidò à recentioribus demonſtrata, non eſt quòd ego cauſis illorum me immiſcens, hic referam, aut eorum dictis ſententijs calculum adijciam. De Syrupis autem, ſeu ad purgationes præparationib⁹, litem aliam ancipitem, nec dudum exortã dirimere conabor. Nam digeſtiuos (quos vocant) ſyrupos, plericꝫ ideo conuellunt, quòd

eos nihil minus,q̃ digerere,ſeu concoquere videãt:q̃ bilioſos humores nõ expectata coctione,educendos eſſe cõtendant Contrà in aciem prodeũt multo maiores Arabũ copię,ac in ſui patrociniũ,Gal.& Hip.aduocãt,experiẽtiámq; matrem iunioribus obijciũt.In hac cõtrouerſa queſtione,ſi quid ego iudico,neutri rem ipſam ſũt penitus aſſequuti.Nec tãti me facio,vt eiꝰ controuerſiæ,quaſi cenſor,in medio ſedeã:aut partẽ vtranq; dãnans,me cunctis inimicũ reddam.Sed,ne cuiq̃ ea negem,quæ gratis accepi: neu,quæ mortalibus præſidio eſſe poſſunt,formidine reprimã:proferã in mediũ quæ veriora putẽ.Syrupos,ſeu præparatorias dulces potiones,nõ ob ſolã cõcoquẽdi vim,ſed ob alios cõplures vſus,perutiles eſſe defendã.Queſtionem de cõcoctione bilis in purgationibus expectãda,longè aliter decîdã.Nec ſolũ bilis flaue,de qua ipſi digladiãtur,concoctionẽ nõ expectabo:ſed etiã,nullatenus eã cõcoqui poſſe, affirmabo:ſicut nec bilẽ atrã,nec pituitã:adhibita tamen de pituita diſtinctione.Vt igitur in propatulũ omnia deducã,dicendũ mihi primò, quid cõcoctio, & q̃ vnica,nõ multiplex ſit.Secundò,quæ ſint, quæ concoqui debeant. Tertiò,an cõcoctio omnis increſſando fiat. Quartò, Hippocratis aphoriſmũ, qui ad rem facit, exponã:vbi de purgationibus multa. Quintò, ſyruporũ vſus particulatim expendã. Demũ, quid poſt purgationes agẽdũ, paucis ediſſerã.

QVID CONCOCTIO, ET QVOD VNICA NON MVLTIPLEX SIT. Sermo primus.

Stenſuro mihi eandem tã in ſanis, quàm ęgris eſſe cõcoquẽdi rationẽ, eundémq; naturæ ſcopum: improbanda ſeſe offert cõmunis Arabũ, & neotericorum ſentẽtia: qui ſecretos quoſuis humores in morbis concoquẽdos putãt, vt facilius pellãtur. Princeps enim Auicẽna Fen prima primi, doctrina ſexta. cap. 3. de facultatibus agens naturalibus, concoctricis (quam digeſtiuam appellat) varias enarrat functiones: vt non ſolum alimenta, ſed & humores quoſuis concoquat, maturet, extenuet, incîdat, & incraſſet. Hinc in morbis ſingulis bilem flauam, & atram, atq; alia eiuſmodi excremẽta, ab hac facultate, iuuantibus etiam ſyrupis, concoqui, ſeu digeri putat. De nominibus cũ Arabe contendere non licet, cùm interpres potius reprehendendus veniat, quòd facultatem digeſtiuã pro concoctrice nominarit. Auicenna porrò in ipſa re turpius errauit, facultatis illius operationes eiuſmodi ſomnians. In bilem enim ex-

quiſitã,putrefactã, ſiue aliud ſimile excrementũ,nunquã ager hæc facultas,concoquẽdo digerẽdo,vel aliquo modo elaborando.Cęterũ principis errorẽ ſequuti ſunt,nõ Arabes modò,ſed & qui Galenum ducem profitentur.Manardus enim epiſtola prima libri 13. ſecretos illos humores in morbis concoqui,& naturæ per concoctionẽ quadantenus aſſimilari tradit,vt melius pellantur. Imò tres ille ponit concoctionis ſpecies, quaſi duæ non ſufficiant. Ego verò, tametſi eam, quæ eſt crudi aut vitioſi ſanguinis in generatione puris,maturationẽ,cum Ariſtotele & Galeno,ſpeciem quandã eſſe cõcoctionis non negem:vnicam tamẽ in vniuerſum eſſe concoctionis rationem, hoc ſermone affirmabo, illas ſecretorum humorum concoctiones,alio ſequente improbaturus.Vnica eſt enim naturalis facultas concoctrix: vna & eadem eius actio in cibos, & vitioſos humores. Prodit ſemp talis actio à ſolidis animãtis partibus,ſibi aſſimilationẽ moliẽtibus,vt ex Hippoc. & Platonis placitis nos docuit Galenus lib.6.nec ſecus Ariſtoteles lib.1.de geñ.& cor. cap.7.Sed ipſam concoctionis definitionẽ proferam[9] à Philoſopho traditã lib.4 Meteorologicorũ.c.2.ait enim:Ρέψις μὲν οὖν ὅτι τελείωσις ὑπὸ τοῦ φυσικοῦ καὶ οἰκείου θερμοῦ ἐκ τῶν ἀναπνεομένων παθητικῶν:id eſt,concoctio igitur perfectio eſt à proprio & naturali calore ex

oppoſitis paſſiuis. Hæc generalis eſt definitio: ſub qua omnes morborum, puris, & fluxionũ concoctiones Ariſtoteles comprehẽdit, vt ſubſequentibus exprimit verbis. Hæc inquam coctio, vnica ratione definitur: nec à frigidis fit ſyrupis, ſed à proprio & naturali calore. Vnica igitur ſecundum ſpeciem erit concoctio, quia vnica cauſa efficiens, calor: vnicus etiam finis, aſſimilatio. vnica quoque materia ex oppoſito patitur: non ſyncerus humor: ſed quæ aliquid in ſe alimenti continet, quod ſubſtantiæ ſimilitudine expetitur à ſolidis partibus: ſiue materia illa ſolùm ſit alimentum, ſiue ex mutatione aliqua ſit facta vitioſa. vnico enim modo vtraq; concoquitur, licet in vna plus excremẽtorum, quàm in alia congeratur. Adde, quòd ab eiſdem modicè calidis vtraque coctio iuuatur: & ab eiſdem lotij, & aliorum excrementorum ſignis, indicatur. Quinque firmiſſimas ex his omnibus, ſequenti oratione probandis, colligemus demõſtrationes. Poſuit tamen Ariſtoteles differentiam inter concoctionem alimenti & puris. Nos etiam talem dicemus eſſe morborum concoctionem, ſeu maturationem, qualis eſt in puris generatione. Verùm ſi quis puris generationem, & morbi maturationem, ex Galeno didicerit: inter eorum & alimenti concoctionem, nullam dicet eſſe differentiam, niſi per accidẽs: cùm eadem ſit vtriuſque cauſa ef-

ficiens,formalis,materialis,& finalis:eadē adiu uantia præſidia,& eadem indicantia ſigna. Sed cùm natura alium habeat in concoctione finē, aſſimilationem:& cauſæ præter naturam,aliū, corruptionem:fit quaſi per accidens,vt natura exquiſitum finem non aſſequatur. Pulchrè hęc omnia docet Galenus in fine primi libri præ= dictionum,de pure. Quia natura,inquit,à pu= trefacientibus cauſis prohibita,non potuit aſ= ſimilationem,quam moliebatur,vt in cibo,per fectam aſſequi:aſſequuta eſt tamen qualemcū= que,vt coloris fiat ſimilitudo,quando ſubſtan= tia aſſimilari non potuit. Hinc fit, vt colorem album,qualis eſt ſolidarum partium concoquē tium,accipiant pus & vrinæ ſedimentum , vt ibidem docet Galenus . Proportionatur enim puri ſedimentum vrinæ, & putrefactio febris putrefactioni tumorum,primo de dif. feb. c. 7. &. 8. Eiſdem proportione reſpondet ſputum, primo criſ. c. 18. &. 4. de ratione vic. acut. vbi concocta eſſe ſputa ait Hippocrates,cùm puri fuerint ſimilia. Nam & in ſputi concoctione aſ ſimilationem veram molitur natura,& eam ſę pe ex parte aliqua conſequitur. quòd ſi ſubſtā tiæ ſimilitudinem non aſſequatur,impediente fœtida,& putrefaciente ſputum cauſa:aſſequi= tur ſaltem coloris albi ſimilitudinem,vt in pu= re,& vrinæ ſedimēto. Vniuocè igitur,quòd ad naturam attinet, de his omnibus dicetur con=

coctio: nec propter puris generationē erit homonyma seu æquiuoca concoquendi ratio, magis quàm inter duos alimentum concoquētes, quorum vnus plus congerit excrementorum, & minus alimenti, quàm alter. Nam accidunt hæc omnia pro varia ratione materiæ, & viribus naturæ. Sed ipsam Galeni diffinitionē proferamus, vt veram morbi concoctionem probemus, quam ille nobis definit libro primo de morbis popularibus. Adscribam græca illius verba, quia male traduxit ea noster interpres. Πέψις γάρ τις ἐστὶ τῶν παρὰ φύσιν, ὁ πεπασμὸς τοῦ νοσήματος. αὕτη δὲ ἡ πέψις εἰς τὴν τοῦ πέττοντος οὐσίαν ἀγωγὴ τίς ἐστι τοῦ πεττομένου. id est, Maturatio morbi, est concoctio quædam eorum quæ sunt præter naturā. Hæc autem concoctio, in concoquentis substantiā deductio quædam est eius quod concoquitur. Satis aperte docet, eam quæ fit in morbis concoctionem, natura assimilante, & in sui substantiam, id quod concoquitur, deducente, penitus fieri. Nec secus lib. 8. de compo. med. secūdum locos, concoctionem dixit esse transitum ad assimilationē alendæ particulæ. Nec ea, quæ pręter naturam vocat, intelligas esse humores illos synceros vel putrefactos. Nam illi in substantiam concoquentis deduci nequeunt. Sed concoctionis materia præter naturam, quæ in morbis maturatur, est, quæ alioqui futura erat

purum alimentum, aliqua tamen ratione vitiata, vt ipſe exponit. ſicut & in puris generatione, non eſt ſyncerus humor materia cõcoctionis, ſed ſanguis ſemimalam qualitatẽ adeptus, nec omnino benignus, nec prſus alienꝰ, apho. 47. lib. 2. & lib. 5. ſim. med. cap. 5. Quemadmodum itaque ex ſyncero humore nunquam generabitur pus, ita nec morbi maturatio ex eo procedet. Sed ad librũ Epidemiorum reuertamur, vbi docet manifeſtè Galenus, eam quæ fit in morbis concoctionem non differre à concoctione alimenti, niſi in maioris minoríſve ratione: vt in duobꝰ ſanis, quorum vnus melius concoquit, alter deterius. Poſt prædictam enim definitionem, cõfert ſani & ægri cõcoctiones. Ergo, *inquit, ubi corpus bene habet, cũmque ei quod concoquitur, cum eo quod concoquit, naturæ intercedit familiaritas: mutatio fit, & alteratio totius concoquendæ materiæ, aut maximæ partis eius, minimúmque ſuperat ſemicocti. At uerò, quãdo præter naturam affecta ſunt, quod accidit, ubi ſunt à natura immutantis & alterantis aliena: id quod aſſimilatur, paucum eſt, ſemicoctum uerò excrementum multum.* Iam, *ſicut in corporibus ſanis, concoctionem indicant excrementa, non ſecus in corporibus affectis indicabunt.* Vides expoſitionem eius, quod παρὰ φύσιν dixerat. Vides quoque in omni etiam alienorum concoctione, vel maturatione, aſſimilari ſemper aliquid, pau

cum vel multum, pro varia materiæ & virium diſpoſitione. Hæc igitur vnica erit, & perpetua concoctionis ratio. Præterea, idipſum probare licebit ex naturæ ordine, quem tradit Galenus apho. 22. lib. primi, & apho. 22. lib. 4. & lib. quos oporteat purg. Primò natura concoquit, ſecundò ſecernit, tertiò expellit. Præcedit coctio ad perfectionem ducens, vt quod aſſimilari poteſt, colligatur ad naturę alimentum. Deinde quod eiuſmodi non eſt, vt excrementum ſecernitur, & demum pellitur, quia noxiũ manendo fieret, nec naturam aleret. Cum itaq; hic ordo, tam in morbis, quàm alimentis concoquendis ſeruetur: ſequitur, non variam aliqua ex parte, ſed vnicam eſſe cõcoctionis vtriuſque rationem: qua tamen ſynceri nunquam concoquũtur humores. Sed hæc omnia ſequẽti ſermone clarius intelliges. Quòd ſi ex imbecilla concoctione alimenti relinquatur ſemicoctum aliquod excrementum, nõ dubium, quin roborata virtute, vel ob aliorum ciborum penuriam, poſſit eius concoctio perfici, ſi natura eo tanquam alimento egeat. Quemadmodum ventriculus ſemel ſatiatus, chylum velut excrementum depellit, iterum attracturus, & concocturus, ſi fame cogatur. Sed in his omnib⁹ nũquam à vera concoquẽdi analogia diſceditur. Aliam ad idem thema colliges demonſtrationem, ſi memineris eius, quod lib. 3. de nat. fa.

ſexto de placitis,quarto de vſu par.5.apho.39 & alibi ſæpe docet Galenus:id eſt, ventriculũ, hepar, & aliam quamuis corporis partem,ſibi cõcoquere,nec habere prouidentiam aliarum. Ita,vt quãdo in morbis fit coctio à ſolidis partibus, quibus malè affectus humor incumbit: illæ ſibi inſeruientes, non in gratiam aliarum, ex vitioſo illo vel crudo ſucco, quicquid colligi poteſt,nitantur aſſimilare.vnde, in fine primi prædictionum ſcribit Galenus,vniuſcuiuſque partis animalis officium eſſe, ad propriã naturam deducere appropinquãtem humorẽ. Hunc etiam eſſe ſcopum & finem partiũ omnium alterantium, docuit citatis locis, de vſu partium,& de placitis. Quòd autem cõcoctio, tam in morbis,quàm in alimentis, fiat à ſolidis animalis partibus,docet eodem loco primi Epidemiorum,& aphoriſmo ſeptimo libri ſecundi. Quin & actiones alias omnes, à ſolidis & ſimilaribus fieri partibus, multis quoq; locis tradit Galenus. Sed Hippocratẽ audiamus, qui lib.4.rat.vic.in morbis acutis, docens qualem in morbis moliri concoctionem oporteat: Corpus,ait,quieti permittere,vngere,&c.ibíq; Galenus,analogia,ſeu ſimilitudine adducta,talem eſſe in morbis concoctionem oſtendit,qualis eſt in vẽtriculo.Nam,vt cibo,inquit,aſſumpto,oportet naturam quieſcere,vt ventriculus cõcoquat:ita in morbo,vt coctio talis fiat,qua-

lem vrinis indicari cupimus, quietem & modi cè calida admouemus, roborantes natiuum calorem partium ſolidarum, quę humores in ſui ſubſtantiam, quoad eius fieri poteſt, ſunt deducturę. Hæc verò coctio vrinis & alui excremẽtis indicatur, ſicut & coctio alimenti, quæ fit in vẽtriculo & hepate. Nec vrina ipſa, nec alia pura excrementa, concoctionẽ aliam ſeorſum accipiũt. Sed cruda ipſa, vel cocta vocamus, quia ſunt veluti ſigillum quoddam, & indicium cõcoctionis alimenti. Si enim talia excremẽta aliquam ſeparatim ſuſciperent concoctionẽ, quæ ad alimentum non ſpectaret, fallacius de concoctione alimenti daret indiciũ. Nam ideo indicant, quia antequam ſecernerentur, dum fiebat alimenti coctio, impreſſionem hanc, veluti characterem acceperunt. Natura enim, vt diximus, concoquit, priuſquam ſecernat: & in concoquendo totam materiam ſubiectam alterat, etiamſi ſolius alimenti gratia concoquat. Hac vnica ratione vrinæ, tam in morbis, quàm extra morbos, indicium concoctionis ſeruant, vt ex Galeno paulò antè retulimus. Nec cõcoctionem bilis, vel alterius humoris ſeorſim poſiti, poſſunt ipſæ indicare. Sed per accidens dant aliquando talium humorũ propria ſigna, quando illis ſe immiſcent: vt, quemadmodum colliquata pinguedine meiuntur oleoſæ, ita in pituitoſis febribus albæ, in bilioſis flauę. Propriè

verò indicat vrina, an ſanguis plus æquo ſit coctus, vel, an remanſerit crudus. Nam in venis, poſt concoctionẽ, à ſanguine ſecernitur: ibi accipit colorẽ & ſubſtantiã: ergo eius, quæ ibi fit, concoctionis indicia dabit: quarto de ſanitate tuenda. Item, vt appareat, quę per febres futura ſit coctio, diſpiciamus, quæ ſuboriatur in eis cruditas. ea verò eſt, quã oſtendit Galenus lib. 2. de natu. facult. *Si quis, inquit, febricitet, protinus concoctio redditur deterior, protinus uentriculi actio impeditur à calore præter naturam.* Omitto hîc, quòd humor obſtructionem faciens multa obducitur cruditate: non, inquam, cruditate ſyncerorum humorum, ſed male cocti alimenti: ideóque concoctionem deſyderat, etiamſi ad melancholicum, vel pituitoſum declinet. Omitto quoq; quòd cum febris ſit paſſio generis venoſi, ex morbi definitione, erit affectus actionem impediens, hoc eſt, venoſi generis cõcoctionem Item, lib de conſt. art. med. & lib. de miſſione ſang. cruditatem, quæ morbum facit, nõ dixit eſſe illorum humorum, ſed fruſtratam alimenti concoctionem. Hæc igitur cum ſit febrium cruditas, quam aliam, quæſo, cõcoctionem in febre deſyderabis, quàm eam, qua alimentum concoquitur? Ego ſanè ex Gaſeno, Celſo, & alijs antiquis, hanc cõcoctionem diligenter obſeruandã & adiuuandã eſſe, quinto ſermone ſum oſtenſurus: alias verò ſynce-

rorum humorum, vel iam putrefactorum con coctiones, à Manardo, & Arabibus traditas, mera esse somnia, secundo sermone probabo. Nunc sicut ex primo Epidemiorum, eandē diximus esse concoctionem naturalis alimēti, & succi præter naturam vitiati: ita ex libro quinto simplicium med. idipsum colligemus: vbi sic ait Galenus cap. 5. Quemadmodum naturales alimenti alterationes, quę ab innato proueniūt calore, à simili extrinsecus iuuantur: ita & alterationes, quę in mouendo pure conspiciuntur. Ac deinceps à calidis & similibus nostrę naturæ, vtranque cōcoctionem adiuuari docet. Adde eadem præsidia ad concoctionem ventriculi, & morbi, annumerata, lib. 1. Epid. de consti. art. medicæ, quarto de sa. tu. & 4. de ra. vic. Ea sunt cibi boni succi, mediocriter calidi, fomenta, cataplasmata, frictio, maximè pedū ex Aëtio, balneum, somnus, quies, vinum modicè calidum. Deniq; concoctionem adiuuant medicamenta, quæ modicè calfaciendo, parum adstringunt, vt capite de croco, & initio lib. 8. de com. med. secundum locos. Quæ verò his calidiora sunt pharmaca, vt piper & calamintha, etiā extenuant. Vides eadem concoctionis præsidia: vidisti easdem causas, & eadem signa, nō secus in morbis, quàm extra morbos: vt sit sermonis huius conclusio: Eandem esse, morbos maturandi, & alimenta concoquendi, ratione.

Quæ ſunt,quæ concoqui debeant.
Sermo ſecundus.

Oc ſermone, contra iam receptã de naturæ cõcoctione ſententiã, putrefactos,bilioſos,&alios eiuſmodi ſecretos humores,à digeſtiua ſeu cõcoctrice potentia nullatenus elaborari,pro viribꝰ ſum oſtenſurus.Lõgius fortè ſermonem producam:ſed boni conſulas candide lector. nam his cognitis, facilius erit ſyruporum vires perpendere,& quatenus ad concoctionem ſufficere poſſint,iudicare.Nemo igitur ſeipſum fallat,credẽs in morbis putrida concoqui,aut putredinis ſanationem eſſe concoctionem.Longè equidem aliam ex Galeno licet colligere methodum:qui cruda, ſemicruda,& quæ ad putredinem tendunt, concoctione ſeruari docet. Quæ verò iam putrefacta ſunt,euacuationem,nullo modo concoctionem deſiderant:vndecimo methodi,quarto de ſanita.tuenda,& apho.decimoſeptimo libri ſecundi. Nec nobis obijci poteſt quod à Galeno ſcriptum eſt in arte medicinali,cap.89.vbi cõcoctionem eſſe dicit alterationem, quæ putredinem finit,manente ſubſtantia. Quaſi ita finiat coctio putredinem, vt de putri humore faciat non putrem:quod fieri nequaquam poteſt.Sed vera Galeni ſententia ad hũc modum ab eo ſcripta legitur:Φέρε γὰρ, ἐὰ δύτως ἔτυχεν,

ὐδὶ χυμοῖς σηπομένοις ἀνάπτεσθαι πυρετὸν, ἔνδειξις ὐδὶ τοῖς τοιούτοις, ἀλλοίωσίς τε καὶ κένωσις ἐστὶν. ἀλλοίωσις μὲν, ἡ πάυουσα τὴν σηπήδονα μενούσης τῆς ὀυσίας: κένωσις δὲ, ἡ ὅλην ἐκ τοῦ σώματος ἐξάγουσα τὴν ὀυσίαν. ἀλλὰ τὸ μὲν εἰρημένον εἶδος τῆς ἀλλοιώσεως, πέψις ἐστὶν.

id est, Esto enim, exempli gratia, ob humores putrescentes accendi febrem. Indicatio in huiusmodi, est alteratio, atque euacuatio. Alteratio quidem, quæ cessare faciat putredinem manentis substantiæ: euacuatio verò, quæ totam ex corpore substantiam educat. Sed dicta quidem alterationis species, concoctio existit. Ad hunc ergo modum finit coctio putredinem, quia eam cessare facit, & prohibet, ne vltra pergat depascendo, seu corrumpendo. Quomodo autem concoctio actionem putredinis impediat, & eam cessare faciat, facilè iudicabunt, qui iam citatum locum de puris generatione, diligenter perlegerint. Mixtam ibi Galenus docet actionem, causa naturali assimilationē moliente: & causa præter naturam, corrūpente, ac putrefaciēte. Hæ duę causæ sibi inuicē repugnāt, vt altera alterā cessare faciat. Quæ enim velut in corpore exanimi, nihil ad permutationē cōferente natiuo calore, putrescūt, à cōcoctionis ratiōe degenerāt. Si verò natura causis resistēs permutauerit eas suo robore, à putrefaciendo desistēt: vt habetur li. 2. de ratione victus acut,

Secundò opponi nobis poteſt Galenus, qui libro primo de dif.feb.cap.4.quicquid corruptũ eſt,temporis ſpatio concoqui,& benignum efſici tradit. Reſpondeo,ſi corruptum more philoſophorum intelligas,id non magis eſt poſſibile,quàm idem corruptum numero reproduci.nec eo modo verti debuit Διεφθαρμένον:ſed, vitiatum,aut cõmaculatũ.Quia tamẽ latinis id ipſum eſt corrũpere,nõ eſt dãnandus interps: clarius verò ſic vertẽdũ: μένῃ γὰρ αὐτόθι πᾶν αὐτοῖς τὸ Διεφθαρμένον κατὰ τὴν γαστέρα, καὶ τὸ ἥπαρ, καὶ ἐν ὀλίγῳ χρόνῳ ἡ πέψις ἐπὶ καθαρὸν χυὸν καὶ γίνεται χρηστόν. id eſt, Manet enim in ventriculo ac iecore quicquid vitiatum eſt, ac temporis ſpatio paulatim concoquitur,atq; efficitur benignum.Eodem modo dixit Ariſto teles,humorem qui putreſcebat,aut alio modo vitiabatur, concoctione effici vtilem. Sed hæc omnia docet manifeſtè Galenus aphoriſmo de cimoſeptimo libri ſecundi. Concludamus ergo putredinem nullatenus eſſe materiam concoctionis: ſemiputrem verò humorem, eatenus,quatenꝰ in eo ſupereſt quod aſſimilari poteſt.Vnde non immeritò Galenus in abſceſſuum & vlcerum curationibus, putredini nunquam adhibuit concoquentia,ſed abſumentia, vacuantia,& digerentia: vt in ateromate, ſteatomate,meliceride,& alijs præter naturam cõtentis. Item vndecimo methodi,viuentis cor-

pŏris calorem,inquit,concoquere:ac vtile reddere poſſe,quod putreſcentium ſemiputre,ſemimalúmque eſt.& paulò pòſt ſemicrudorum tantum concoctionis meminit, vt & 4. de ſanita.tuenda:vbi ea quæ naturæ gratiam ſuſcipere nequeunt, penitus abijcienda docet. In nulla igitur diſpoſitione eſt requirenda coctio, niſi vbi eſt alimentum crudum aut vitiatum. Hac ratione diſpoſitio, ſeu fluxio, in quauis corporis parte concoquitur, dum vicina pars aſſimilationem molitur. Proinde Galenus lib. 7.de comp. med. ſecundum locos, affectus arteriæ concoquit modicè calidis, & adſtrictionis aliquid habentibus: vt roboratus partium calor natiuus, aſſimilationis munere melius fungatur. Carnem etiam contuſam concoqui ait,lib.5.ſim.med.cap.7. & 14. metho. Nam, expreſſo per contuſionem ſucco ad putrefactionem tendente, reducitur quod reduci poteſt,& reliquum ſuppuratur.

¶ Ex prædictis iam facile eſt colligere,inanem eſſe Arabum & recentiorum quæſtionem,de concoctione bilis in purgationibus expectanda.Nos enim ex iam demonſtratis inferre poſſumus,non ſolum bilem flauam, ſed nec atrā, habilem eſſe ad ſuſcipiendam aliquam naturæ concoctionem. nec pituitam, ſi ita in ſalſedinem,vel aliam qualitatem degenerauerit, vt à ſanguinis & alimenti natura ſit penitus aliena.

Sed in gratiam recentiorum probationes plenius deducamus, oſtenſuri humores hos, nec in morbis eſſe concoquendos, nec aliqua ratione concoqui poſſe. Primò, ſacra eſt authoritas Galeni paſſim docentis, vt quod ſeparatum iam eſt, nec aſſimilari poteſt, omni ratione, & quamprimum vacuemus: reliquorum verò concoctionem adiutemus. Libro enim quarto ſalubrium, in quo de morboſis agit ſymptomatis, generaliter docet, quid circa noxios ſuccos agendum: facítque diuiſionem trimembrem. In medio ponit ſanguinem, citra ſanguinem crudos: poſt eum acres, bilioſos, ſalſos, & alios eiuſmodi, qui poſt concoctionem naturæ remanſerunt, ac noxia acquiſita qualitate degenerarunt. Deinceps ait: *Duo ſunt, quibus intentus ſit oportet, qui eiuſmodi affectibus medebitur: crudorum, uel ſemicrudorum, qui ante ſanguinis perfectionem fuerunt, concoctio: acrium & mordacium, qui ſecundi ſunt, & ſanguine poſteriores, eductio.* Hic locus eſt tam apertus, vt mirari ſubeat, tot, tantóſque medicos in luce clara hallucinari: & tales fingere concoctiones, quæ in ſola Arabum imaginatione conſtiterint: re verò ipſa, nuſquam. Quod autem à Galeno dictum eſt de acribus & mordacibus, non concoquendis, ſed educendis: etiam atrabilarios, & pituitam ſalſam comprehendit. Nam illi omnes

ſunt mordaces,& paulò antè de eis fuerat loquutus, eos inter cauſas vlceroſi ſenſus annumerans: ac ſolum concoquere iubens eos,qui infra ſanguinem ſubſtiterunt,& aſſimilari poſſunt. Paulò etiam antea in hunc modũ ſcripſit: Oportet igitur excrementum,ſiue calidum id ſit, ſiue frigidum,ipſum aut pellas, aut certè alteres. Recipit uerò non omne excrementum alterationem à natura: ſiquidẽ nec omnis cibus in cuiuſuis animantis uentre concoquitur: ſed cognatio quædã eius quod concoquitur,cum eo quod concoquit,eſſe debet. Quod igitur omnino alienum eſt, nulla ratione fieri poteſt, ut naturæ ſuæ grãtiam accipiat: ſed educere id quamprimum eſt tentandum: æquè certè, ut quæ in uentre prorſus corrupta ſunt, uomitione, uel deiectione pellere eſt optimum. Et paulò poſt: Quod ſemicoctum adhuc eſt, concoquatur: quod concoqui non poteſt, expellatur. Et nono methodi: Solidarum partium natura humores ad nutriendum habiles ad ſe trahit,reliquos omnes pellit. Et libro vndecimo: Cõcoquet, quod concoqui eſt habile: exœrnet, quod poteſt exœrni. Idem libro primo de ratione victus commentario decimooctauo, & libro ſecundo commentario trigeſimo. Quid multa? Totus in hoc eſt Galenus, & ſimilia vbique docet,ſola cruda,vel ſemicruda concoquere,cætera mox pellere iubens. Quę verò ſint iſta cruda,docet lib.4.de ſanit.tuenda: & nos dicemus

in expoſitione aphoriſmi, cruda eſſe illa, quæ in alimenti concoctione citra ſanguinem ſubſtiterunt: & illa ſola in morbis ante purgationes eſſe concoquẽda, nos docuit Hippocrates: ita vt eius authoritas non parũ ſubſidij ſit nobis allatura. Ipſa etiam vocabuli ratio nos docet, id quod cõcoctionem exigit, eſſe crudum, cruentum, & acerbum. quorum nullum de ipſa bile merito dici poteſt, cùm ſit ipſa poſt ſanguinem, & excrementum concoctionis. Adde Galenum lib. 2. de dif. feb. docentem, qualis in febribus ſit coctio, & qualiter hi humores putreſcant, velut excrementa, quæ reijciuntur. *Natura, inquit, ſemper nititur, ſuis uiribus utẽs, aſſimilare partibus nutriendis quicquid fieri utile poteſt: excernit autẽ id quod minime iſtiuſmodi eſt. Quòd ſi præ craſſitie, copia, lentore, anguſtia meatuum, uel ob ſui debilitatem, nequeat eiuſmodi excrementoſum humorem diutius in corpore morantem pellere: neceſſario ille humor putreſcit. Nam quicunq; ſit humor, aut concoctionem recipit, & coagmentatur ſolidis partibus, aut diutius in corpore manens putreſcit.* Exemplum de bile ſubiũgit, quæ cùm concoqui amplius non poſſit, ſi probè nequeat expelli, arquatum facit morbũ, aut putrefacta febrem. Attẽde, obſecro, quàm doceat manifeſtè, nullũ eſſe inter hæc duo medium: aut cõcoqui ad aſſimilationem, aut pelli humorem, quicunque ſit ille. De bile autẽ, tan-

quã re manifeſta,docuit,eam velut concoctionis incapacem,omnino à natura pelli. Nã abſoluta naturę concoctione humores hi fuerũt ſecreti,vt ex naturæ ordine ſolùm ſuperſit eos pelli. Quòd ſi pelli nequeant,inquit,putreſcũt, & febrem accendunt. Expultrice ergo peccante,quis tam ſtupidus medicus admouebit concoctrici remedia? Quis ita eſt hebes, vt videns ſummum naturæ in pellendo ſtudium,non eã adiuuet? copiam minuẽdo,ſi ea obſtruxit: craſſitiem & lentorem extenuando & incidendo, ſi illi expultricis actionem læſerũt: meatus reſerando, ſi eorum anguſtia eidem fuit impedimento: demum expultricem ipſam roborando. Hæc enim methodus eſt Galeni. Sed barbari,inepti homines,has omnes functiones,digeſtiuæ ſeu concoctricis facultatis eſſe operationes ſomniarunt. Quòd ſi ex obſtructione excrementi,ſequatur mala alimenti concoctio, habenda tunc concoctricis ratio, per ea præſidia,quæ iam relata ſunt concoctionem iuuare. ¶Alius eſt locus Galeni in fine libri de conſtitu.artis medicæ,qui ſolus huic diſputationi finem imponere ſufficit. Ibi ea quæ ad naturalem ſtatum redire poſſunt,concoqui vult: quæ præter naturam ſunt, pelli. Deinde ad ſingulos humores deſcendens, vacuare eos præcipit,non concoquere, excepta pituita, de qua in hunc modum diſtinguit: Εἰ δ' ἐν τῷ φλέγμα-

τος πλεονάζῃ χυμὸς, ἐὰ μὲν ἁλμυρὸν εἶη, καθαίρειν: ὀξὺ δὲ γενόμενον, ἀλλοιοῦν πειρᾶσθαι, ξυντελοῦντα τῇ φύσει πρὸς τὴν πέψιν αὐτοῦ: id est, Si autem superabundet pituita, si quidem salsa fuerit, purgationem: sin acida, alterationem moliri oportet, naturam ad eius concoctionem iuuantes. Non est quòd alias probationes desideres, si quæ hoc loco docet, intelligas. Nam cum bilis quoque meminisset, vacuationem eius, non concoctionem docuit. In pituita autem dulci vel acida, quia potest verti in alimentum, concoctionem præcipit. Idem docuit libro secũdo de ratione victus in morbis acutis, cõmentario trigesimo, neutram bilẽ concoqui posse tradens, cùm post naturæ concoctionem, flaua ex sanguine plus æquo calfacto, atra ex eodem adusto generetur. Idipsum confirmat & in fine secundi de natu. fa. alijs dicens humoribus constitutũ à natura aliquod instrumentũ, per quod vacuentur: pituitæ autẽ nullũ, quia sola ea concoctionis est capax. Hæc omnia ante Galenum docuerat Aristoteles, qui generaliter & de humorum & tumorum concoctione tractans, solam inter humores pituitã concoqui posse dixit: inter tumores, eos solos qui suppurãtur, vt sunt phlegmonosi. Nec admittẽdi sunt, qui negant Aristotelẽ sufficienter de concoctione loquutum, sed solum de alimenti concoctione. Nam tunc puris cõcoctio-

nis non meminiſſet, cui ſimilem facit Galenus morborum maturationem. Cæterum ex hac tumorum concoctione validiſſimam aliam colliges demonſtrationem. Nam ſi totum legas Galenum, nunquam inuenies concoqui ſyncerum humorem, qui facit herpetem, exquiſitum eryſipelas, œdema, ſcirrhum, vel alium quemuis tumorem, qui non ſit phlegmonodes. Nunquam etiam in talibus generabitur pus. Si autem tumor ſit phlegmone, aut phlegmonodes, vitioſus ſanguis concoquetur, & ex eo pus generabitur: conueniéntque tunc concoquentia, & pus mouentia præſidia, quæ in alijs tumoribus nunquam adhibuit Galenus. Quid hîc Arabes reſpõdebunt? qua ratione hos humores in febribus, & non tumoribus concoqui dicent? Galenus enim cõcoctionem, quæ fit in febribus, comparat concoctioni tumorum in pus, primo criſ. ca. decimooctauo, & primo de differentijs febriũ cap. ſeptimo. Sed ad alias rationes veniamus, & ab eiſdem locis, à quibus anteà, veras demõſtrationes aſſumamus. Prima ſit ab efficiẽte cauſa concoctionis deprompta. Solidas nanq; partes oſtendimus cauſas eſſe omnis concoctionis, dum aſſimilationem moliuntur: & quòd non in gratiam aliarum, ſed vt ſibi alimentum parent, id efficiant. Alimentum verò ex talibus humoribus vel excrementis comparari non

poteſt: ergo in eos non aget vis illarum partium concoctrix. Secunda demonſtratio ab ipſa materia concoctionis. iam enim oſtenſum eſt in huius ſermonis initio, materiam concoctionis eam eſſe, quæ familiare aliquid habet, quod ſubſtantiæ ſimilitudine poteſt in naturę alimẽ tum deduci. id verò in talibus humoribus non inuenias. At dicet Manardus: *Humores hos, quando ita concoqui non poſſunt, ut in ſubſtantiam membri uertantur, ſatis pro modo ſuo concocti erunt, quando ſolidis membris quadantenus ſimiles effecti, & à natura ſuperati, apti redditi fuerint, ut uel ab eadem natura per ſe, uel cum artis adminiculo expellantur. Et hoc eſt generalius concoctionis ſignificatum: iuxta quod & pus & lotium concocta medici nuncupant.* Hactenus ille epiſtola prima lib. 13. Cuius verba eò difficilius videntur poſſe improbari, quia ſumpta ferè ſunt, vel vtcunque collecta ex Galeno libro ſecundo de rat. vic. acut. Adiutorem etiam habent Trallianum libro primo cap. 16. Præſtaret à Manardo, Auicenna, & alijs omnibus, frequentius citari Galeni locos: quod illi tamen dedignati videntur, aut quia non ſuccurrebãt, aut quia forſan ambiebant, vt ſuæ authoritati crederemus. Hinc fit, vt in eorum nuda lectione ſæpius cogamur impingere, offendẽtes verba Galeni ſiniſtrè detorta. Ille enim duplici ter aliquid dici concoctũ, cũ Hippocrate tradit,

propriè ſcilicet, & improprié. Non tamen duplicem fatetur eſſe concoctionem: ſed vnã tantum. ex qua fit, vt quædam propriè, quædam improprie concocta dicantur. ſicut ab vnica fit concoctione, vt vna pars aſſimiletur, alia ſit excrementum: vel vna perfectius, quàm alia aſſimiletur. Sed de Galeni & Tralliani dictis latior ſequetur oratio. Nunc id tantum à Manardo quærerem, cuius ex quatuor facultatibus naturalibus erit illud opus? & qua ratione ſolidarum partium natura tales humores ſibi quadantenus aſſimilabit? Et quando ei daremus, vt natura aſſimilaret inducta craſſitie, quid hoc ad expulſionẽ prodeſſet? an non craſſities magis obeſſet? Quòd autem nulla partiũ corporis, tales ſibi quadantenus aſſimilet humores, ad expulſionem præparando, concedet ille, qui nouit, quamlibet corporis partem, nõ ob aliarum prouidentiam, ſed ſuaipſius gratia agere concoctrice facultate, vt ſibi aſſimilando alimentum excipiat. Sed à talibus humoribus tantum abeſt, vt eam gratiam partes accipiant, vt etiam moleſtari ab eis naturam magis videamus: & id potius eam agere, vt expellat, poſtquam concoxit, & vt ſuperflua ſecreuit, iuxta ordinem prius traditum. Item in præparando humores ad expulſionem, maximè nitimur eos à naturæ ſimilitudine extenuando abducere, quò facilius pellantur. nam diſſimi-

litudo eſt cauſa pellendi: ſimilitudo autem, attrahendi, retinendi, & concoquendi. Qua etiam ratione facit ipſe Manardus differentiam inter extenuantia, & concoquentia: quia extenuantia à naturæ ſimilitudine abducunt: concoquentia autem adducunt. Item, quòd tales excrementoſi humores in corpore manſerint, expultricis fuit vitium, vt ex libro de differēt. feb. iam deduximus: ergo expultrici, non concoctrici admouenda preſidia: quæ à naturę ſimilitudine extenuando abducant, non quæ incraſſando quadātenus aſſimilent. At dicet Manardus, tale quid fieri, ſicut in pure, vt aſſimilationem natura moliatur, quam non aſſequitur. Similitudo hæc admittenda venit, ſi febris materia talis ſit, qualis illa, ex qua fit pus. Verùm pus non ex iynceris illis humoribus putrefactis, ex quibus febris, ſed ex ſanguine ſemimalā (vt quiſpiam dixerit) qualitatem adepto generatur, ſiue ex materia nec prorſus benigna, nec prorſus aliena, vt teſtatur ampliſſimè Galenus aphoriſmo. 47. libri. 2. & libro. 5. ſimplicium medic. cap. 5. & in fine primi prædictionū. Itaq; materia illa ſanguinea, ex qua in puris generatione aſſimilationem molitur natura, aliquid habet, quod ſubſtantiæ ſimilitudine effici poteſt familiare: cuius ratione vicinæ phlegmonæ partes concoctionem aggrediuntur: alioquin nunquam cōcoquerentur inflam-

mationes. Quòd finem assimilationis perfectę, partes tumori vicinæ non assequantur, ob incidentem, vt dixi, euenit causam putrefacientem, quæ illi assimilationi obstitit. Quæ putrefaciens causa, si Galeno credimus, primò in humorem alium sanguinem vertit, antequam eum putrefaciat (in pure enim non vertitur in alios humores, quia nec ita putrescit) vnde tãtum abest, vt humores illi concoquantur, vt ministri potius sint putrefacientis causæ, & à concoctionis ratione omnino degenerent. Cęterum & huic puris maturationi accidit similis in febribus: non quòd ex materia febris cõiuncta, quæ syncerus est, & putris humor, possit vnquam generari pus, vel aliquid proportionale puri: sed ex antecedente, qui inficitur sanguine: vel quando putrescenti humori miscetur aliquid cruenti, seu alimenti, seu succi familiaris, vt ferè fit. eò magis, quia tota ventriculi & hepatis coctio solet in febribus turbari, & multa alimenti cruditas oboriri. Qua ratione, sicut & in pure, ita hîc in concoquendo natura laborat, vt assimilationem moliens, putrefacienti causæ resistat. Impedita verò, non substantiæ, sed coloris assimilationem consequuta, protulit proportionale quid puri, cuiusmodi est hypostasis vrinæ. Hinc collige, sicut nec pus, ita nec sedimentum vrinæ, ex syncęris illis humoribus pos-

ſe gigni:tantum abeſt, vt eorum cõcoctionem tale ſedimẽtum indicet. Quæ res à vulgaribus medicis egregiè ignoratur. quia non vident naturam ordinatè agentem, tales humores poſt priorem concoctionem ſecreuiſſe, vt omnino pellat. itaq; ſolo expultricis munere, non concoctricis egent. Sæpe tamen non mox pelluntur, aut quia non moleſtant, aut quia ſubſunt impedimenta, ex libro de differentijs febrium iam relata. Quoquo tamẽ modo expellẽdi ſũt, extenuantibus & incidentibus, ſi opus eſt, præmiſſis. Talis verò extenuatio, & inciſio, ſi quis facultates naturales ritè diſcernat, ad expultricem, non concoctricem ſpectat, vt ſequenti ſermone declarabitur. Quanti autẽ referat, an concoctricem, vel expultricem adiutes, præter alios docet Hippocrates: qui ſolitus victum ad iudicationem vſq; extenuare, ne morbi cõcoctio impediatur: in libro tamen primo de rat. vict. in morbis acutis, bonis & coctis apparentibus ſputis, iubet augeri ſorbitiones vſq; ad criſin, vt expultricem ad expuendum iuuet, poſtquã concoctrix adiutore iam non eget. Sed ad hypotheſim reuertamur. Tertia prędictis accedet demonſtratio, ſumpto argumento ab ijs, quæ naturæ concoctionem iuuare poſſunt. Nullos enim ſyrupos pferre poſſunt Arabes, qui hos humores ad naturæ aſſimilationem deducant. aut agent ſui ſyrupi, velut in corpore mortuo,

natura non cooperante: quod negant Ariſtoteles & Galenus, concoctionis efficaciam natiuo calori tribuentes. His enim autoribus ea concoquunt, quæ natiuum calorem augent,& roborant,vt potentius aſſimilet. Hoc autem locum habere non poteſt in materia ad aſſimilationem penitus inepta:ergo humores illi concoqui nequeunt.Quarta demonſtratio ex ipſo naturæ ordine, quem non piget repetere. Natura primò concoquit, ſecundò ſecernit, tertiò expellit.Si ergo humores illi ſynceri, poſt concoctionem ſunt ſecreti: ſupereſt, vt expellantur, non vt iterum concoquantur. Quinta demonſtratio ex fine, quem ſuæ concoctioni aduerſarij tribuunt. Nam finem eius actionis, naturæ victoriam, ſeu expulſionem eſſe dicũt. Sed quoquo modo natura concoquat,id incraſſando fieri, ex Ariſtotele & Galeno docebimus.quòd verò incraſſata materia non ita facile à medicamento attrahatur, ſicut tenuis,in ſequentibus etiam eſt demonſtrandum. ergo ineptiſſimus ad purgationes eſt ille finis ſuæ concoctionis. Nam maiorem ſibi hoſtem natura pararet,ſi ſyncerum illum purgandum humorem,prius incraſſaret.Sextam rationem addam,ne à febrium cruditatibus quis deceptus, humores illos ibi cõcoqui putet.illa enim cruditas eſt alimenti:quæ ideò alui deiectionibus, vrina,ſputo, & alijs cibi excremẽtis indicatur.

Vt vero firma ſit demõſtratio, ꝓponatur morbus ab aliquo illorũ humorũ proueniens, ſine alimenti cruditate. Sit talis arcuatus morbus, qui à bile tam flaua & atra, quàm etiam à pituita, fieri poteſt, vt docet Galen⁹ 2. de dif. feb. cap. 5. & lib. 6. ſim. med. c. de atriplice. An igitur in tali icterico morbo, dices bilis faciendam concoctionẽ, anteq̃ purgemus? Nuſquam profecto apud probatos authores id legitur. Quin potius, ſi Galeno, Rufo, & Aëtio credimus, obſtruentem & infarctam bilem, extenuantes & incidentes, quamprimũ purgabimus: adeò, vt plures vna die hoc modo ſanauerit Galenus, in fine quarti de locis affectis, & lib. 1. de natu. hu. Eadem Rufus docuerat, vt citat Aëtius in cura arcuati. Naturæ hoſtis me hercle cenſendus eſt, qui talibus nænijs purgationes remoratur: & cogere naturã vult, vt eũ humorẽ iterum cõ coctura amplectatur, quem ipſa velut exoſum tantopere nititur à ſe pellere. Quid de aqua inter cutẽ, & hydrocelen? an cõcoquere eã tẽtabũt? rem ſanè à Galeni ſcopis alieniſſimã, imò ridiculam, ſi quis flatum in tympanite cõcoquat.

Dictum ſatis puto ad propoſiti thematis probationem, nec aliquis ſupererit ſcrupulus, ſi modo pugnantes rationes à nobis dirimantur. Prima eſt celebris dubitatio de concoctione, quæ fit in febribus, & vrinarum cruditate. Ad quã dictũ iam eſt, & iterũ dicẽdũ, nõ ob ex-

quiſitũ humorẽ, ſed ob alias cauſas requiri in febribus cõcoctionẽ,&apparere initio cruditatem. Primò, natura ab irruẽte morbo turbata ſolitã intermittit coctionẽ: inde cruditates inĩ tijs febriũ oboriuntur,& vrinæ crudæ. Itẽ, cũ omnis febris ſit paſſio generis venoſi, erit ea ratione morbꝰ actionẽ lædens, vt partis alterius affectę ſolet cõcoctio impediri. Itẽ vitioſus humor miſcet ſe alimẽto in venis, qui nõ ſolũ cõ coctionẽ turbat, ſed & vrinas ſuo colore ĩficit: cuius ratiõe in pituitoſa febre, apparẽt albę: in bilioſa, ruffę: 1. ad Glau. Alia eſt peculiaris cruditas obſtruentis humoris, qui in parte aliqua fixus, cõcoquiť toto morbi tẽpore vſq; ad criſim, aphor. 22. lib. 1. Vtraq; hęc cruditas vrinis indicať: quę poſt cõcoctionẽ accipiũt alba ſedimina, ob factã à natura qualẽcũq; aſſimilationẽ ſuccorũ, à quibus excernitur vrina. At dices, tã túmne alimẽti accipit natura in ſtatu, vt ratiõe ſolius aſſimilatiõis dicať humores cõcoquere? Dico, naturã in arcẽda putredine maximè laborare, nõ aliter, q̃ dũ pus cõficitur. boni enim ſucci ſeruanť à cõtagiõe. Qui iã infecti ſũt, nec tamẽ putrefacti, acrius reluctari cogũt naturã, quę nulla alia, q̃ cõcoctrice, ſeu aſſimilatrice vi pugnat cõtra putrefaciẽtes cauſas: quæ corrũpẽdo, à naturæ ſimilitudine lõgius abducũt humores. Gratia nutritiõis ex naturali mũere id agũt ſolidę partes, licet tũc nõ alãť. Nec ſimpli

citer nõ ali dixeris. Nã ideo nos victu tenuissimo in statu vtimur, ne ab illo cibo in istũ natu rã diuertamus. Et, si natura viribus pollet, aliquid ex materia cruda, vel nõ admodũ vitiosa, colliget alimẽti. Quòd si ob reluctãtẽ causam putrefacientem, id non assequatur, assequetur tamen, velut in pure, coloris similitudinẽ. Tãto etenim laborioſior, & periculoſior est crisis, quanto natura minus potest assimilare. Si nullam verò consequatur assimilationem, sed vincant putrefaciẽtes causæ, manet semper vrina sedimenti expers, aut aliam quampiam acquirit infectionem prauam, sequitúrque mors.

Secundò obijci nobis potest, etiã vera concoctione humores hos concoqui. nã partes quædam sunt magis bilioſæ, vel pituitoſæ q̃ aliæ, nec solo sanguine nutriũtur: ergo & alij humores concoquentur. Hæc obiectio me non torquebit, qui nec elementum purum, nec sanguinem purũ, dari, vel non dari, contendo. Id tantum asſero, concoctionem omnem nutritionis gratia à calore noſtro naturali tentari, syncerósq́, vel corruptos humores, qui nutrire nequeunt, nõ posse concoqui. Nõ propterea nego ex melãcholico sanguine nutriri lienem, & alias partes ex bilioſo magis, vel pituitoſo. tot enim sunt concoctrices facultates, quot particulæ, primo de natu. fa. Concoctio tamẽ nõ fit gratia illius humoris qui est excernendus, sed

gratia illius qui eſt aſſimilandus. ex melancholica enim fęce puriorem partem ſibi aſſimilat lien,& eius gratia concoquit. Poteſt itaq; concoqui melancholicus ſuccus, ſed difficulter, vt ait Galenus in lib. de conſtitu. art. medicæ: vbi μελαγχολικὸν χυμὸν, vocat δύσπεπτον, hoc eſt difficilis concoctionis. ob id multa ſunt vaſa in liene, vt à potẽti calore extenuetur,& elaboretur fęx illa,& puriſſima eius pars in lienis alimentum colligatur. Iam ſi melãcholicus ille ſuccus ſit aliunde vitiatus, aut in morbis ſemiputreſcẽs, multo difficilior erit eius coctio, ſeu maturatio. Nec ſolùm tũc erit ſuccus ille δύσπεπτος, ſed, vt ait Galenus, κακοηθέστατος, καὶ δηλητηριώδης, καὶ δυσκαθάρτος: feréque atra bilis tunc dicendus erit. Illa verò, ſi exquiſita ſit, nullo modo concoqui poteſt, ſed velut naturę inimiciſſima pellitur. Nec obſtat Gal. locus in lib. quos oporteat purgare, vbi ſic ait: Ἐν ἀρχῇ μὲν γὰρ τοὺς ὀλιγώδεις τε καὶ λεπτοὺς κενώσεις χυμοὺς, ἀναμενεῖς δὲ πέψιν ἐπὶ τῶν παχέων καὶ γλίσχρων, ὅτι τὴν φύσιν ἔσθ' ὅτε τοῦ φλέγματος, καὶ ὁ τῆς μελαίνης χολῆς. id eſt, Principio nãq; ſeroſos ac tenues vacuabis ſuccos, in craſſis verò & viſcoſis (cuiuſmodi natura ſunt pituita & nigra bilis) cõcoctionem expectabis. Quare enim expectanda coctio, paulò pòſt ſubdit: quoniam natura à concoctione humores ſecernit. Si ergo tales ſint

illi humores,vt ex eis poſſit benignum aliquid effici,cõcoctio eorũ expectanda.Quòd ſi à nutritione ſint omnino aliena excrementa,adhuc eſt morbi cõcoctio expectãda:quia natura poſt eorum quæ cõcoquenda ſunt,concoctionẽ,his excernendis melius vacabit.eo magis,quia talia obſtruentia excremẽta ſolent obduci multa cruditate per febres oborta,vt ſit illic cõcoctio vel maturatio expectãda,cum alioqui pelli nequeant tenacia & craſſa excremẽta.Non igitur dixit Galenus eorũ humorũ expectãdã coctionem,quantumuis id ex parte verũ ſit:ſed in talibus eſſe expectandã vrinarũ & totius morbi concoctionem,quod perpetuo verum eſt.

Opponere tertiò potes,inter bilioſos humores alium pallidũ,alium flauum,magis vel minus coctum dici.Item alterationem aliquã ſuſcipere poteſt bilis:nec eam natura ita pellit, vt ea poſſit carere.Reſpõdeo,naturã nunq̃ eſſe ſine illis humoribus:cùm ſemper ex ſanguine illis contemperato nutriatur, & ſemper ex alimẽto eos ſecernat,nec natura pellat,niſi grauetur.Sed quia poſtq̃ ſecreti ſunt,mox fiunt naturę obſtaculo,ideo eos perpetuò pellit,hos in veſicam fellis agens,illos in lienẽ.Quòd alterationem ais à natura illos ſuſcipere : ſi generalius de alteratione loquaris,id non inuitus cõcedam:non tamen à natura eſt talis alteratio,ſi more Galeni loquamur:ſed velut in rebus ex-

ternis,per contactũ fit actio,& passio à contrarijs.Quòd bilis cocta,vel cruda dicatur,non propria ratione id Galeno dicitur,sed velut in vrina, iuxta perfectam, vel imperfectam concoctionẽ alimenti(à quo hæc superflua sunt excreta)talis, vel talis est eorum consistentia, vel color.Nullo tamen modo concoctionem aliam seorsim humores illi à solidis partibus accipiunt.Quid enim hepati profuerit, bilioſum humorem(qui ex naturali sanguinis cõcoctione,crudior vel coctior,pallidus magis, vel flauus remanſit)denuo cõcoquere:si ille quoquo modo sit expellendus?Itaq; nullo modo ab hepate cõcoquitur amplius bilis: nec nos id arte moliri debemus,qui adiutores sumus naturæ, non nouarũ concoctionum fictores.Et quo magis id mireris,dispice sanguinis fęcẽ,quę tametsi naturæ sit vtilis,& parti alicui corporis familiare alimentũ:quia tamẽ hepar ea amplius non eget, nullo modo eius concoctionem, aut elaborationem molitur:sed eam protinus à se pellit,postq̃ seperauit,facta boni sanguinis cõcoctione.Lien verò, quia sibi aliquid eius assimilare potest,cõcoctionem molitur: reliquum vt expellat,deinde conatur,non vt iterum concoquat.Quo non valente pellere,fiunt obstructiones:in quibus expultricem,non concoctricem iuuare opus est.Talis cùm sit singularum partium actio, ad sui vsum, non ad aliarum

prouidentiam,etiã in eos ſuccos,qui alijs partibus vtiles eſſe poſſunt, vt eos tantum pellere,nullo modo alijs elaborare conentur:quanto magis eos pellent, qui nulli parti vtiles eſſe poſſunt?Imò,quod mirabilius videtur,& à Galeno traditur lib.6.de placitis, &. 3.de nat. fa. optimus ſuccus , & toti corpori familiaris , à parte nullo modo elaboratur,poſtquam illa ſibi concoxit, & eo non indiget . ita vt ſanguis tanquam ſuperfluum quid dicatur concoctionis hepatis,nec ab eo elaboretur amplius,poſtquam hepar ſibi alimentum ſelegit . Nec alia ratione ipſum lac mamillę elaborant,niſi quia ſibi alimentum quærunt, apho.39.libri.5. Idẽ de ſemine in libris,quos de eo conſcripſit,tradidit Galenus.Quin & chylus,ſupfluitas quędam eſt concoctionis ventriculi : & poſtquam ventriculus ſibi ad ſatietatem ſumpſit, eũ pellit,tanquam moleſtum onus, apho.18.lib.2.& in fine quarti de ſanit.tuend.Si igitur in vtilibus ſolam expulſionem molitur natura,quando eis ad alimentum non eget : quanto magis id faciet in illis,quæ naturæ gratiam non poſſunt ſuſcipere? Eſt tamen hoc inter illa diſcrimen:nam hæc vtilia,quæ nunc pelluntur,ſi iterum pars egeat,attrahentur,& concoquentur: quod in alijs non accidit,ſed perpetuo pelluntur : niſi etiam talis eſſet excrementi cruditas, vt ei aliquid ineſſet alimenti.Quo melius autẽ

fiat pulſio, extenuantur, & incidũtur, quæ craſſitudinem habent. Si hoc concoctionem quis vocet: dicat, quæſo, num etiam comminutio calculi in renibus erit concoctio? Equidem non magis concoquitur talis humor, quàm calculus, aut aliud quoduis excrementum. Item, quia extenuatio illa expultricis facultatis eſt operatio. ſicut etiam illa in expellendo defecit, ita ei, non concoctrici, ſubueniendum. Ex quibus omnibus ſatis conſtat, nullam in ea extenuatione eſſe concoctricis actionem, nec poſſe concoctionem vocari. Si quis ita vocandam cõtendat, vocet, ſi velit, ſcyndapſum. Nobis ſatis conſtat, eos, qui ita ſunt loquuti, ineptè, & contra veterum morem, talia finxiſſe: quatuor facultates naturales ignoraſſe: & errores varios in artem medicam induxiſſe. Nam talibus fictis coctionibus, ſeu digeſtionibus, multorum purgationes retardantur, aut omnino impediuntur. Item frigidis ſyrupis moliuntur digeſtionem, vt purgationem adiuuent: cùm tales eam magis impediant, & lentos faciant naturę motus. Nec ſunt ꝓpinandi ad purgationes iuuandas: ſed ſolum, quando ſcopus eſt alterare, nõ purgare. Quũ verò, ad craſſorũ expulſionẽ iuuandã, cõcoctionẽ moliebãtur per ea, quę extenuarent & inciderent: in nomine potius, q̃ in re, videbantur errare: niſi id præter rationem aliquando facerent, & vbi non erat opus. Quæ

omnia in quinto ſermone diſtinctè trademus.

Demum obiurgabit me aliquis, quòd omnis materiæ febrilis tollam cõcoctionem. Nam incoctus ſanguis mihi concoquitur, qui Galeno non generat putridam febrem: alios verò ſuccos febrem generantes, ego concoqui nego. Reſpondeo primò, rectè à Galeno dici, ſanguinẽ in aliũ humorẽ degenerare, anteq̃ putreſcat. qđ in bilẽ fit potiſſimũ. Nã dulcia, & pinguia, calefacta bileſcunt, & amara fiunt, vt in lib. de nat. fa. de criſ. & de ſim. med. nos docet Galenus. Quòd, ſiqua ſit in ſanguine pars craſſa, veluti fex, ea in atrã bilẽ degenerabit, lib. 2. de diff. febriũ. c. 12. Ex quo iam apparet, materiã febris coniunctã, eſſe ex bile putredinẽ, nec concoqui illam poſſe: antecedentem verò, quę cõcoquit, eſſe ſuccum, ſiue ſanguinem, aut crudum, aut iam putreſcentem, & ita infectum, vt bileſcat. Hanc coniunctam cauſam aliqui, nuſquam eſſe putant: res tamen ipſa ſecus nos docet. nec Galenus eam negat, primo de loc. aff. & apho. 22. lib. 2. morbi enim qui fiunt, neceſſario habẽt cõtinentẽ cauſam, ſicut & ſymptomata: ſecus ſi iam facti ſint. Febris itaq; putris, cũ ſolũ ſit, quando fit: neceſſario habet coniunctã cuiuſq; paroxyſmi cauſam, quæ ſimul cum paroxyſmo digerit, vt oſtẽdem in fine quarti ſermonis. Hac ratione Galenus huic cauſę nõ me det, cũ ſufficiat antecedentẽ auferre, & febrilẽ

calorẽ alterare, cũ quo & causa coniuncta euanescit. Antecedens verò causa, siue obstruẽs sit & putre excremẽtũ, siue crudus & vitiosus succus, cõcoctionẽ vel purgationẽ expectat. Simile qd in erysipelate accidit, vt antecedentẽ causã, nõ solã bilẽ, sed mixtũ, vel tenuẽ sanguinẽ dicere possis: q initio fluẽs oĩa genera inflãmationũ excitat. Deinceps in alios humores degenerat, q certa ratiõe dici possunt causæ cõiunctæ. Nec pugnat secũ Gale. li. 2. cris. c. 12. oẽs tumores à bile, pituita, vel melancholia fieri tradẽs, nullũ à sanguine: & lib. de cura. per venę sectionẽ, omnes à sanguine. Hanc enim controuersiam dirimit lib. 2. ad Glauconem, his verbis: τοῦ μέντοι ῥέοντος αἵματος, εἰς τὰ τοιαῦτα μόρια κατὰ τὰς ῥευματικὰς διαθέσεις, ἔχοντός τινα κακοχυμίαν, ἡ διάθεσις γίνεται μικτή. καὶ γίγνοιτ' ἂν ἴσως οὖτος σπανιώτατα. Διὰ παντὸς γὰρ ὤφθη μοι χωρὶς φλέγματος, ἢ ξανθῆς χολῆς, ἢ μελάινης, αἷμα τῇ συστάσει λεπτὸν ὑπὸ ῥέον. ἐξ ἄλλης δέ τινος αἰτίας εἰς ὄγκον ἀρθέντος τοῦ μορίου, σκοπεῖν εἴτε φλεγμονὴ τὸ πάθος ἐστὶν, εἴτε σκίῤῥος, εἴτε οἴδημα. id est, Eo autem sanguine, qui per rheumaticas dispositiones in eiusmodi fluit partes imbecillas, habente aliquid vitiosi succi, mixta fit dispositio. quod fortè rarissimè euenit. Semper enim visus est mihi fluere sanguis tenuis substãtiæ, sine pituita, bile flaua, vel atra. Ex alia autem quapiam causa si pars in tumorem eleuetur,

conſyderandum eſt an huiuſmodi affectus ſit inflãmatio,an ſcirrhus,an œdema. Prima igitur fluxio,vt plurimum ſanguinis eſt, licet ex alijs cauſis poſſint alij tumores oriri:à quibus etiam cauſis ſanguis in bilem flauam vel atrã degenerare cogitur:aut à partis intemperie increſcit quod in eo eſt pituitoſum,& tandem fiunt alia genera tumorum,etiam ſi initio fluxerit ſolus ſanguis. Cum itaq; in lib. de criſibus loquatur Galenus de materia febrili,merito dixit,tumores,qui febrem faciunt,nõ à ſanguine,ſed ab alijs eſſe humoribus. Nam ſi febrem faciũt,putredo ſubeſt:ſi putredo ſubeſt, aliam à ſanguine cõiunctam habet cauſam, ac materiam.Hac ratione nulla eſt Galeno febris putrida à ſanguine,vt cauſa cõiũcta:cũ omnes ferè febres ſint à ſanguine, vt antecedente cauſa,lib de miſ.ſang. Nam omnis febris eſt paſſio generis venoſi,primo criſ.cap.7. cuius ratione ſanguis patitur, eius coctio impeditur, & ipſe excalfactus fit antecedens materia putredinis.Qua ratione etiã miſſio ſanguinis in febribus cõmẽdatur,11.metho. Per hæc ſatisfactum obiurganti puto, abundéq; declaratũ, quid in febribus vel tumoribus concoquere oporteat.Cuius rei cognitio,vt ſummè neceſſaria,ita à multis eſt ignorata.Si enim exquiſit9 ſit humor faciens tumorem, vt herpetem, eryſipelas,ſcirrhum,vel cancrũ, nullomodo ibi

generabitur pus: sicut nec in flatuoso vel aquoso œdemate. nec est ꝙ post repellentia, in admouendis concoquentibus, seu pus mouentibus laboremus: quin potius, vt ferro, vel digerentibus totum educatur. Eâdem ratione si sit putredo, vt in vlceribus malignis, nõ cõcoquere, sed calce, arsenico, chalciti, sandaraca, & alijs causticis eam absumere, & ferro candente exurere conamur. Id ipsum in febribus dicẽdum, vt nulla alia ratione competere possint concoquentes syrupi, nisi ob sanguinem vel cibum in concoctione deficientem. Et cùm vnicum sit concoquentium genus in febribus & alijs morbis, nõ est in ea re syruporũ varietas admittẽda, sed modicè calidis õnis cõcoctio iuuanda.

¶Superest, Galeni & Tralliani locos superius citatos, nunc perpendere, vt totum pro nobis esse Galenum liquidò pateat. Præstat verò totam eius orationem excribere, quæ scripta legitur libro secundo de ratione vic. com. 44. Ibi cùm Hippocrates crudę bilis meminisset, Galenus locũ illum ad hũc modũ interpretatur: Καταλέγει δὲ ἐφεξῆς αὐτὰ πάντα, τὴν ἀρχὴν ἀπὸ χολωδῶν ὠμῶν ποιησάμενος. ὠνόμασε γὰρ οὕτως αὐτὰ, διότι καὶ τὴν τῶν πεπεπτωμάτων ὠνομάζει πέψιν, εἰ καὶ μὴ δυνατὸν μεταβληθέντα θρέψαι τὸ σῶμα, καθάτερ αἱ χολαὶ, καὶ οἱ ἰχῶρες. ἀλλ' ὅμως ἐπειδὴ κρατεῖ καὶ τῶν τοιούτων ἡ φύσις, εἴωθεν ὀνομάζειν πεπεμμένα

μὲν τὰ κρατυθέντα τῶν τοιούτων χυμάτων ἀπὸ τῆς φύσεως. id est, Recenset autem deinceps hæc omnia, sumpto initio à bilioſis crudis. Etenim bilioſa cruda ita appellauit, eò quòd & excrementorum appellat concoctionẽ quãquam mutata non possint corpus nutrire, vt bilis vtraque, & tenuis sanies. Attamen ex quo & talia vincit natura, consueuit Hippocrates cocta vocare excrementa eiusmodi, quæ à natura sunt euicta. Hęc ille. Excrementum bilioſum posse aliquam cõcoctionem admittere nos vltro concedimus, quando in eo supest aliquid semicocti alimẽti. Sed aliud est quod hoc loco docet Galenus, cũ deinceps exponat, quomodo concocta dici intelligat, nempe κατὰ τὸ γενικώτερον σημαινόμενον τῆς πέψεως ἀκούοντων ἡμῶν τῆς προσηγορίας: id est, iuxta generalius significatum cõcoctionis intelligentibus nobis hãc appellationem. Γενικώτερον δ' ὄντων, ὅταν ἡ φύσις τῶν αἰτίων ἰσχυροτέρα ᾖ, καὶ μεταβάλλει αὐτὰ κατὰ τὴν ἑαυτῆς ἰσχύν. id est, Generalius autem cõcoctionis significatum est, cùm natura causis fortior fuerit, & permutauerit eas suo robore. Tantum abest, vt contra nos hîc aliquid dicat Galenus, vt potius nostram sententiam perpetuo robore firmet: si diligenter notes, quare concoctionis hoc generalius significatum dixit esse, cùm natura causis fortior fuerit, permutauerítque eas suo

robore. Natura enim cauſis putrefacientibus, vel cauſis acrimoniæ bilis, fortior inuenta, permutat eas, & impedit, ne amplius in putrefaciendo pergant, neu bilem acrem generent. Hoc igitur modo bilis coctio exiſtit, vt vrinarum: quia cauſas alterat natura, & euincit, vt ſequēs vrina cocta magis emittatur, quàm fuerit precedens: & bilis deinceps non ita acris à cauſis illis generetur. Vrina tamen, quæ ſemel in veſicam eſt recepta, non amplius coquitur: ſed eam concoquebat, & euincebat natura, quando in cauſas agebat: nempe in ſanguinem, quī ab ipſa euincebatur in venis. Cuius actionis ratione vrina dicitur euicta, & ſuam concoctionem ibi accepiſſe. Ad eandem analogiam, bilis, quæ ſemel acris excreta eſt, non amplius concoquitur: nec lachrymæ, nec alia fluxionum pura excrementa, poſt naturæ concoctionem ſemel excreta, amplius excoquuntur. Sed dicuntur euinci hæc omnia, & concoctionem ſuſcipere, antequam ſecernantur. Tunc enim ſuis cauſis euictis, hæc euincuntur, & concoctionem ibi accipere dicuntur: agente natura in id totum, cuius hæ ſunt partes. Nec in partes, propter ſeipſas agit, ſed quia in toto eſt ſubſtantia familiaris: quam aſſimilare contendens, ea quæ obicem faciunt, euincit: eo modo, quo in pure aſſimilando contra putredinem pugnat, vt eam ceſſare faciat.

Non ſecus, hæc excremẽta bono alimẽto mixta,& nutritioni repugnantia,vt alimẽtum colligat,natura euincere conatur:ſecernere,putredinem reprimere, & excrementi acrimoniam, cibum concoquendo,obtundere.Quod ſi nõ faceret,priuaretur ipſa alimento,putrefactio materiam inuaderet,& acria excrementa remanerent. Quæ omnia cruda dicerentur , & meritò ἀπεψίαν arguerẽt,indicantia,naturam in cibis concoquendis non potuiſſe reluctantes cauſas euincere:quibus inuictis,effectus hi inuicti manent.Ideóq; cruda generaliter dicit bilis,acris, flaua,& malè olens:indicans naturam inualidè cibum concoxiſſe,cum admiſerit ſe inſinuantẽ putredinis fœtorem,& acrimoniam:ſicut eadẽ ratione ſputum flauum vocatur pallido crudius,lib.1.criſ.c.5.Quis hîc, vel Galeno ipſo tacente,non videt,de alia Hippocratẽ agere cruditatis ratione,quàm quæ cõcoqui poſſit? Quî fieri dices , vt calidiorem bilem cenſuerit eſſe magis crudam?Si enim cruditatem aliquam in bile,quæ concoctionem deſyderet,admittendã putes, aquoſam, & frigidiorem bilem proponere debebis.Ad hunc enim modum cruda aliquando pelli excrementa,ex lib.epid.ſuperius oſtendimus.Nunc verò acrem,& fœtidam vocat crudam,vt tantum indicet impotẽtiam cõcoctricis in euincendo repugnãtes cauſas præter naturam.Nec crudam ideò vocat,quòd ve-

lit eam recoquere : cùm nec aquoſior & frigidior ſeroſus humor, concoqui vltra poſſit, niſi aliquid inſit ei boni ſucci, quod naturam allicĩ at. Satis iam videre licet, q̃ detortè aliò traxerit Manardus verba Galeni, & eis ſit perperã abuſus. Nunc ad Trallianum. Is enim lib. 1. ca. 16. non abſurdè ait adhiberi infuſiones, lauacra temperata, ácopa, & cibos humectantes: ad alterandum, ſubigendum, & concoquendum humorem bilioſum. Sumpſit ea verba ex Galeno, lib. 2. de com. med. ſec. loc. vbi agit de cura doloris capitis ex bile. Galenus tamen non meminit concoctionis : ſed dat etiam frigidæ potum, ad calorem reprimendum, non ad concoctionem iuuandam. Meritò itaq; Alexãder, quia concoctionis meminit, frigidæ potum dimiſit: & remedia tantum protulit, quæ ſimul cum alteratione, veram concoctionem iuuare poſſunt. Non quòd exquiſitam bilem concoquat: ſed humorem bilioſum, de quo loquitur: qui eſt velut ichores illi, in quibus Ariſtoteles docuit eſſe aliquid aquoſi ſanguinis. Tũc enim natura à calidis illis præſidijs adiuta, cõcoctionem perficiet, vt euicta à natura: deinde ſecreta pura bilis, eiúſque ſiccitate ab humectantibus illis ſubacta & alterata, facilius educatur. Quin etiam, ea quæ humectant, leniunt, & demulcent, concoctionem adiuuant, teſte Galeno libro quarto de ratione victus, commen-

tario.44.Itaq; ex his Tralliani verbis, ad verba Galeni collatis, nihil desumi potest, quod veræ concoctioni repugnet. Tantum dicimus Trallianum miscuisse duos scopos, alterandi qualitatem,& concoquendi substantiam:vt altero exquisitam, altero non exquisitam bilem comprehenderet.Quòd si exquisitam semper velis esse bilem, quod vix contingit,adhuc dicam posse adhiberi concoquentia:quia semper aliquid cruoris superuenit, attrahente fluxionem dolore:& quia partis affectę cõcoctio impeditur. Possunt etiam cõtra bilis acrimoniam adhiberi verè concoquentia. Nam si emendetur concoctio naturæ, non amplius generabitur bilis tam acris. Nullum hoc toto sermone superesse puto dubitandi locum, nisi quis ex Aristotele contrà putet. Quapropter locum eius de concoctionis finibus, quem obiter in primo sermone attigimus, iterum plenius excutiamus. nunc enim tempestiuè id faciemus, quod tunc non licebat. Ait Aristoteles libro quarto meteorologicorum,cap.secundo:Conconcoctionis finis alijs est ipsa natura,alijs alia quædam forma: vt in tuberculis, pus: in lachrymis, sordes. In summa,omnibus ait accidere concoctionem,cùm materia, atque humiditas victa fuerit. Ex quibus duo contraïre nobis videntur.Primum,quòd alia præter alimentum concoquantur:secundum,quòd alius

sit finis concoctionis ab assimilatione. Sed responsio, ex Galeni dictis, est iam data. Nam lachrymę semel in oculum deductæ, & formatę, nullam amplius concoctionem accipiunt. Sed si euincat natura causam fluxionis ad oculum, vt non ita tenuis liquor, sed crassior sordes in oculo appareat: erit tunc signum concoctionis intus confectæ. Hæc mens est Aristotelis & Galeni, vt non intelligant pura excrementa, separatam per se concoctionem suscipere, aut per se euinci: sed indicare euictos esse intus humores. Id quod verba Aristotelis consequentia docent. Quocirca, air, vrinæ, alui sedimina, & omnia corporis excrementa, sanitatis indicia sunt: & cocta ideò dicuntur, quòd humorem à calore vinci significent. In illa siquidem intus parta victoria, secretæ sunt characteristicæ quædam notæ, rem gestam indicantes: non quòd in ea ipsa excrementa sit naturæ intenta concoctio. Ad aliud de fine: iam dictum est, naturæ finem vnicum esse, nempe assimilationem. Sed quia in pure, & alijs fluxionibus, non sola agit natura (imò causæ præter naturam, quarum finis est corrumpere, & putrefacere, ei commiscentur) accidit totum finem compositum, quem Aristoteles consyderat, alium esse à fine solius naturæ, quem nos semper nutritionem cũ Galeno dicimus. At, nónne, inquies, excrementa

ipſa,poſtq̃ excreta ſunt,inſpiſſantur,& aliquo modo cõcoquuntur? Dico,alui excrementa,ſugentibus meſeraicis venis,inſpiſſari,& exiccari,primo criſ.cap.11.ſed eouſq; peruenit naturæ cõcoctio. Pura quoq; excremẽta, ex quibus nihil poteſt ſugi, poſſunt inſpiſſari: vt σπυρα θώδη dicta, ex nimia in inteſtinis retẽtione:& cũ ab ignea caliditate, euaporat, & abſumitur humidũ, teſte Galeno lib.2.prorrhetici. idẽ in deſiccata in oculis & naribus ſorde.ſed hoc nõ magis eſt cõcoctio, q̃ cũ concreſcũt excremẽta in calculũ,ſcirrhũ,vel callũ. Non enim eſt actio natiuæ caliditatis,ſed extraneæ igneæ. Ad eũdem modũ in ſaliuis & vrinis retentis, & per inedias,acquiritur ſalſedo,& acrimonia ex ebu litione quadã igneæ caliditatis,nõ à cõcoctiõe naturæ. Natiuæ enĩ caliditatis eſt concoquere, alienæ verò corrũpere,& putrefacere,lib.2. de dif.feb.c.12. Sed quorſum in lippitudinis concoctione,ſordẽ illã fecit Ariſtoteles finẽ? Dicẽdum,vt in eadẽ lippitudine clarè docet Gal.in lib.de totius morbi tẽp.primò fluere humorẽ tenuẽ,& incoctũ: deinceps pauciorem, craſſiorémq;,notã cõcoctionis habẽtẽ. Demũ abſoluta intus cõcoctione,oboritur in oculis,vice puris,craſſa &lẽta quędã ſordes: adeò,vt dormiẽtiũ oculos inde conglutinari dicat Gal. Talem meritò poſuit Ariſto.finẽ cõcoctionis: cũ quo & nos huic ſermoni finem imponimus.

Quòd concoctio ſemper incraſſet, Sermo tertius.

SVnt qui dicãt, concoctionẽ, nec incraſſare, nec extenuare: ſed ad mediocritatem quandam ſemper reducere humores: vtquod craſſum eſt, extenuet: quod tenue eſt, incraſſet. Ego verò cum Ariſtotele & Galeno perpetuò dicam concoctionem incraſſare. Philoſophus enim in quarto meteorologicorum, quæ concoquũtur, neceſſario ait euadere craſſiora, calidiora, & ſiccciora. Manifeſta quoque ſunt verba Galeni in principio quarti de ratione victus in morbis acutis. Concoctio enim, inquit, omnia cogit, incraſſátq; Idem in 4. de loc. aff. cap. 9. in pulmonis affectibus, tenue eſſe ait ab initio ſputum: quod vbi concoctum fuerit, craſſius euadit. Et lib. 5. cap. 7. à partibus inflammatione affectis, tenuem initio ait defluere ſaniem, quæ concocta inflãmatione craſſior, & puri ſimilior, euadit. Vniuerſim, in libro de totius morbi temporibus, in febribus, tumoribus, vlceribus, & alijs affectibus, cruditatis ſigna à tenuitate recenſet. Idem Hippocrates in vrinis, ſputis, & alui deiectionibus. Nam valida concoctrix, retentrice vtens, nihil è manu dimittit, donec ad certam conſiſtentiam incraſſando deduxerit. Imbecilla verò, inualidè retinens concoquit, ac

tenuem liquorem, velut percolari dimittit, aut totum immaturius grauata pellit. Ab imbecilla ergo concoctione fiunt excrementa tenuia. Sed omissis excrementorum indicijs, ab ipsa rei essentia possumus rationem vnam, & alteram adiungere. Prima, coctio est actio solidarum partium in succos: hæc verò actio est assimilatio, quæ fieri nequit, nisi succi incrassentur, cum solidæ partes sint succis crassiores. ergo cõcoctio necessario succos incrassat. Præterea, inspissatio Aristoteli fit, quando humidis partibus euanescentibus, siccæ coagmẽtantur: eáque ratione ait, inter omnia liquida aquam solam non inspissari, quin tota prius exhalabitur, quia non subsunt partes siccæ. In mixtorum verò concoctione subsunt partes siccæ, & humidum euaporat: ergo inspissatio necessario sequitur. Item à simili: cùm varia materia igni elixanda admouetur, postquam fuerit æqualiter mixta, quanto magis concoquitur, tanto spissior redditur: ergo & in ventriculo ita fiet concoctio, cùm ea, testibus Aristotele & Galeno, sit elixationi similis. Experientia id quoque docet: nam exæquatum primo chylum, semper deinceps incrassari videmus. nec secus in hepate sanguis incrassatur. deinceps in singulis partibus, ros ille assimilatione fit crassior. Nec obstat, quòd nos probè aliquid concocturi, primò conterimus,

extenuamus,ac maſticamus quod concoquendum eſt. Nam id facimus,vt homogenea quædam primò fiat æqualitas, quò melius totum incraſſetur actione caloris. Hanc rem plærique nõ animaduertentes,eam extenuationem, craſſorum fuſionem,ſeu trituram,quæ præcedit,à concoctione ipſa non ſecernentes, ignorant, qualiter coctio omnis incraſſet. Si quis verò ad id animum vertat, obiecta omnia dicto citius refellet. Primò, in hunc modum ſe quiſpiam opponet: Crudus propriè dictus humor craſſus eſt, coctus verò non ita craſſus: ergo ea craſſities concoctione tollitur. Præterea, Galenus libro primo de com. med. ſecundum genera,capite de emplaſtris, quæ ex argenti ſpuma præparantur: craſſitiem argenti ſpumæ tolli ait, fuſam ab ignis potentia. Tertiò,in fine libri de conſtitut.artis medicæ. Quod in naturalem, inquit, ſtatum redire poteſt,contrarijs alterare oportet, craſſum & viſcoſum attenuando, tenue incraſſando, communiter autem vtraque concoquendo. Quartò. Hippocrates & Galenus craſſitiem damnant in vrinis, alui deiectionibus, & ſputis. Ad has obiectiones diluendas, meminiſſe oportet eorum, quæ rectè nos docuit Galenus libro quarto de ſanitate tuenda: vbi tradens cruditatis remedia, primò extenuare, & incidere iubet,deinde cõcoquere. Siquidem in

affectu illo, in quo plurimus erat crudus humor,& exiguus ſanguis bonus: cũ nec miſſione ſanguinis, nec purgatione, nec balneo, nec exercitatione poſſet eis ſubuenire:id primo curauit,vt extenuaret. Deinde ſubiunxit: Si crudos ſuccos ſatis iam attenuatos ſperas, vinum dabis, quod ad concoctionem faciat. Et paulò pòſt:Crudi ſucci attenuandi, concoquendíque ſunt.Et iterum:Si crudi ſucci copia ſubeſt,diſſecandum eum nobis,concoquendúmque diximus.Semper præmitti vides extenuantia concoquentibus. Nec ſecus docet lib.12. method. med. Sed & ratione confirmatur, extenuantia præcedere.Nam crudi ſucci,quaſi glacie cõcreti, ſunt craſſi & frigidi, ob caloris imbecillitatem,qui nequiuit eos euincere.Vt ergo ad concoctionem,quæ à moderato fit calore,hi euincãtur,maiore vi opus eſt,quæ eos fundat,comminuat, & in ordinem redigat: vt & nos faciamus,igne,gladio,& dentibus,cibos in ventriculo concoquẽdos,extenuãtes & incidentes.Iam ad argumentationem primã,dicemus complexionem illam, ſiue conſequentiam non valere. quia non à cõcoquẽtibus tollitur craſſities,ſed ab extenuantibus & incidentibus, quæ concoctioni adiuuãdæ præmittũtur.Aliquando etiã res craſſa tenuiori alteri mixta, in tenuiorem formam,velut in chylum redigitur,vt in varijs accidit eduliorũ generibus,in ventriculum con

ſectis:& in argenti ſpuma,cum aqua, vel oleo, ad ignem incocta.Qua ſola ratione exiſtimant aliqui,fieri extenuationem in cõcoctione: quia miſcetur liquidum,nõ quòd calor extenuet.Id ſi verum eſt, nunquam poterit natura per inediam cõcoquere crudos & craſſos ſuccos:quia extenuari illi deſyderabũt,quod natura nõ poterit præſtare.Sed hoc vt manifeſtè falſum eſt, ita & opinio ipſa. Quis enim negare poteſt, à vi caloris natiui fundi poſſe materias cõcretas, & incraſſantem frigiditatem deſtrui? nõ igitur omnis extenuandi vis à liquoris mixtione pendet:eo magis,quia Galenus ait,ab ignis potentia fundi ea,quæ in ceruſſa ſuberãt craſſa & viſcoſa. Metallica item omnia vſta,fiunt tenuioris eſſentiæ, etiamſi non ſit liquor. Extenuantia quoq; medicamenta, vi caloris agunt,etiam ſi ſint arida. Fatemur itaque calorem natiuum poſſe extenuare,ſed non admodum. nam moderati caloris eſt concoquere.ad extenuandum verò maior vis requiritur:quã in liene facilius inuenias,ad craſſam fęcem elaborãdã.Ad rem igitur:extenuationem ipſam eſſe caloris operationem dicimus,quæ & concoctio in igne dici poteſt, generalius ibi ſumpta concoctionis ratione:quia in ignis cõcoctione non eſt moderatio certi caloris.Poteſt & in igne ab extenuatione diſtingui.In nobis porrò,ideo ſemper diſtinguimus,quia ſcimus,maioris eſſe caloris exte-

nuare,quàm concoquere:aliáq; in materia externa vocamus præſidia concoquentia,alia extenuantia,vel incidentia.potentiora enim quæ extenuant,fundunt,& colliquant.Item concoctio ad naturæ ſimilitudinẽ adducit, extenuatio abducit. Quin etiam in elixatione ad ignẽ, ſi quid eorum quæ liquantur,immergas: cùm primùm fundetur,nõ dicetur adhuc concoqui: ſed cùm poſt illam fuſionem,iterum elixando inſpiſſabitur. Cæterum de vocibus non anxiè contendam,ſiue quis hanc extenuationem ſuc corum,concoctionem vocet,ſiue totius concoctionis partem faciat.Res verò ipſa ita habet. Quòd totius naturæ prouidentia optimè factum eſt,vt quum partibus cõceſſa eſt functio aliqua, conceſſum etiam ſit præuium ad eam miniſterium.quam ſanctionem omnia iura cõ firmant. Quid enim profuerit,me magiſtratui præficere,ſi coërcendi vis,& alia ſuffragia non adſint? Ad hunc itaque modum, natura, non ſolum concoctricem, ſed etiam expultricem hoc extenuandi munere donauit: cùm paſſim nequeat expellere,niſi prius extenuet. Ad qđ, ſi ſola non ſufficiat,nos arte iuuamus.nec propterea dicimus extenuationem illam eſſe expulſionem, ſed præparationem quandam, ad futuram expulſionem.Eadem ratione extenuationem, quæ concoctioni præmittitur,non dicemus eſſe concoctionem,ſed adiutricem præ-

parationem. Scio Arabas omnem extenuandi vim ſoli concoctrici tribuiſſe. Sed cùm concoctrix non amplius circa talia excrementa laboret, ſiqua in eiuſmodi ſit naturæ actio, illa erit expultricis. Item expultrix referat meatus, iubet aperiri pylorum, & matricis vincula rumpit, tertio de naturalibus facultatibus. Quòd ſi quis negare velit, expultricem poſſe humores pellendos extenuare, ex hoc non probabit, eos à concoctrice id pati. ſed tunc eorum extenuatio erit opus ſolius externi præſidij. Eam ſiquidem nõ ita valenter extenuare quin ſæpiſſimè artis adminiculo egeat, non inuitus concedam, cùm & de concoctrice idem conceſſerim. Sed omnem illi auferri extenuandi vim, nõ temerè permittam: cum omnes hæ functiones à calore proficiſcãtur, qui extenuare poteſt. Natura etiam nõ ſatis prouida fuiſſet, ſi hanc functionẽ neceſſariã illis denegaſſet. Experientia quoq; eã nõ deeſſe teſtat: nã craſſa excremẽta phalitũ & ſudores aliquando digerit natura: ergo extenuat. Itẽ multi tumores digeruñt: in q; bus, ſi Galeno credimus, nulla eſt cõcoctio, ſed ſola expulſio extenuãtis & digerẽtis facultatis. Ineptè itaq; Arabes eã, q̃ erat expultricis actio, cõcoctionẽ eſſe putarũt, aut ſuo noĩe vocatam digeſtionẽ: cùm minus fuiſſet delictũ, extenuationem illã vocare expulſionẽ, cũ ea expultrici adminiculet: ſicut quãdo cõcoctioni p̃mittitur,

vocãt cõcoctionẽ. Exactius verò rẽ ipſam ppẽdens, differentiã facies inter ea quę expellunt, & ea quæ ad expellendum præparant: & inter ea quæ concoquunt, & quę ad concoquendum extenuant. Contentioſis verò, quibus præter veterum morem ſua figmenta placent, faciemus ſatis, dicentes, naturæ concoctionem aliquando incipere ab extenuatione, demum tamen ſemper incraſſare. quod in igne fieri videmus. Nam poſt mixtam argenti ſpumam cum oleo vel aqua, ignis primò totam materiã exæquat, vt extenuato craſſiore fiat homogeneũ quiddam: & deinde totum incraſſetur. Idem in fructuũ maturatione, vt terrea primò ſit acerbitas, quæ deinceps aquea humiditate diluitur: ac demum inſpiſſatio ſequitur. Idem facit ventriculus, carnes & panes liquoribus exęquans, donec in vnum chylũ omnia redigantur. Hinc putarunt antiqui, ex attritione fieri concoctionem ventriculi: nam initio eſt ſimilitudo quædam attritionis, ad quam confert dentium attritio exquiſita. Hæc itaq; comminutio, fuſio, ſeu extenuatio, ideo non eſt propriè vocanda cõcoctio, quia nõ fit p eã aſſimilatio: ſed præparatio quædã ad futurã aſſimilationẽ, quę inſpiſſando & incraſſando ꝓcedet. Quod diligenter eſt notandũ, vt memineris qua ratione extenuãtia & incidẽtia cõcoctionibus adiuuãdis prę̃mittãtur. Per ea enim adiuuatur cõcoctrix:

ſicut quando purgationibus præmittũtur, per ea adiuuatur expultrix. Sublata per hæc eſt argumentatio ſecũda. non enim negamus facultati concoctrici ineſſe extenuandi vim: ſed extenuandi munus ad varia conferẽs, à proprio cõcoquẽdi munere ſeparamus. vna etenim eſt facultas,& multę functiones: ſicut vnius particulæ multi vſus. Ad tertiã,ſiue materia ſuppuri alimenti,ſiue vitioſi,hęc à natura fieri dicimus eius quod tenue eſt,incraſſationem: eius quod craſſum eſt,extenuationẽm : ac demum concoctionem eius,quod ad naturalem ſtatum redire poteſt. Sed eius,quod craſſum eſt, concoctio fit,poſtq̃ extenuatum eſt,vt iam demõſtrauimus:& docet ſeries ipſa verborũ Galeni, in qua poſt extenuationẽ meminit cõcoctiõis.

Ad quartam:negare nemo poteſt in craſſitie excedi naturæ modũ,vt in tenuitate, cùm eius tẽperamẽtum ſit mediocritas quædã:à qua fit receſſus tam vi calidorũ,q̃ frigidorũ. Nã,teſte Ariſtotele,citato iam loco, & Galeno in ſecundo prædictionum: craſſities fit tam à calido,q̃ à frigido:à calido euaporãte,à frigido cõſtringente. Porrò,in vrinis craſſitiẽ à frigidis,craſſis,& crudis humoribus originem trahere,paſſim docet Galenus. Quoniam exiſtente copia craſſorum & crudorũ humorũ, egeritur quandoque per vrinam pars aliqua eorum,vt mox dicemus:&,ſi natura eos validè aggreditur, fit

magna vrinę perturbatio. Vnde tam tenues, q̃ craſſæ vrinę, cruditatem indicant: ſed varia ratione. Initio enim, quando natura in cõcoquendo deficit, tenues emittũtur. Quãdo verò craſſi & crudi multi iam collecti ſunt ſucci, quorum pars aliqua vrinis excernitur, aut quorũ extenuationẽ & concoctionem aggreditur natura: craſſę & turbulẽtæ fiũt vrinæ. Tales verò craſſi humores, vt iã rationi aduerſarij ſatiſfaciã, ad naturalem ſtatum redibũt, ſi à valido calore fundantur, & extenuẽtur: ac etiã, ſi pituitæ adſit lentor, incidantur. Vnde non concoctionem tenuitatis cauſam dicemus, ſed extenuationẽ. In qua re mirabile quid notabis, teſte Aëtio comprobatũ, lib. 5. c. 29. Laudabiles, inquit, vrinæ ita progrediũtur ad concoctionẽ, vt primò ſurſum nubecula, ſecũdò ad mediũ enæorema, tertiò in fundo hypoſtaſis perfecta cõcoctione inſpiciatur. In craſſis verò, à collectorum humorum cruditate vrinis, cõtrarius eſt ordo, vt aſcendere ſedimentũ videat, cõſpecta prius in fundo craſſa ſubſidentia: quæ multis imponit, putãtib⁹ eſſe indiciũ verę cõcoctiõis. Cũ tamẽ id quod ſubſidet, nõ ſit ſemicoctũ illud, quod puri proportionale diximus, à ſolidarũ partiũ aſſimilatione dealbatum: ſed eſt portio quædã pituitoſi, vel crudi humoris. cognoſcitur verò differre à vera hypoſtaſi, ex inæqualitate quadã: quia nec ſibi cõtinuũ id manet, nec ita lęue

ſed velut in arenulas diſſecta fęx, aut velut farī na craſſior, de qua Hipp. aphor. 31. lib. 7. Itē, to ta vrina eiꝰ albedine tingit: quod nō eſt in vera hypoſtaſi. Prętera, totam vrinā illę cruditates ſolēt turbare, & magis incraſſare. Alia differē tia traditur à Gale. lib. 1. criſ. c. 12. cuiꝰ verba hīc aſcribā, quia verſio cōmunis nō ſatisfacit: Εἰ μὲν γὰρ τὴν χρόαν ἀκριβῶς ἐπιφυλάξῃ, ὑπό σαιρ τε καὶ λευκὴν, καὶ λείαν, καὶ ὁμαλὴν, καὶ πολλὴν ποιῆται, πέψεως μὲν ἂν εἴη καὶ οὕτως ἀκριβῆς γνώρισμα. πλέονα δ' ἐν, ὅν ὠμὸν ὀνομαζόμενον χυμὸν ἐκκαθαίρεσθαι δηλοῖ. Id eſt, Si enim colorē exquiſitè ſeruauerit, ſubſidentiā verò albā, læuē, æqualē, & multā fecerit, ſic quidē erit cōcoctionis etiā exquiſitum ſignū. Copioſiorem verò ſi fecerit ſubſidentiā, humorē illū crudū vocatū expurgari demonſtrat. Differētia igitur hæc eſt, quòd copioſior fit ſubſidentia à crudo humore, q̄ à vera concoctione. Ad rē igitur: Tale crudum, teſte Aētio, primò apparet in fundo: deinceps, cum ad cōcoctionē attenuatur, incipit in medio apparere enæorema. vbi expleta eſt attenuatio, & concoctio eius, qui intus erat crudi humoris, ſurſum apparet in vrina nubecula. Porrò, ſi humor nō ſimul attenuando fuiſſet cōcoctus (vere enim tēpore quo attenuatur, cōcoquitur, per partiū attenuatarū aſſimilationē) ſed partes omnes attenuatę manerēt: cōcoctio ad pfectio-

nem eas vniuersim duceret,iterũ ĩcrassando:& instar dictarũ probabiliũ vrinarũ,iterũ ad inferiora vergeret sedimentũ,quod prius ascenderat.Quod efficax est argumẽtũ,ad discernendũ extenuationẽ à cõcoctione:cũ illa sursum,hæc deorsum agat vrinę sedimẽtũ:aut cõcoctio sola deorsum agat,extenuatio cũ cõcoctione sursum.Ad ea,quæ de sputo sunt adducta,ꝑ hæc sit respõsum.Excessum in crassitie fieri concedimus.Ab vtraqꝫ causa,calida vel frigida,crassum vel lentũ fieri sputũ asserimus. Remedia verò nõ à cõcoquẽtibus,sed ab incidẽtibus, & extenuãtibus petẽda: humectãtibus quoqꝫ nõ neglectis,quę ad eductionẽ sputi cõferũt,lib.5. sim.med.c.12.Vnde fit manifestũ,argumenta aliud nihil cõcludere,q̃ extenuãtia & incidẽtia, esse ad cõcoctionẽ iuuandã necessaria.Ipsa verò cõcoctio nõ extenuat,sed incrassat.Alui excrementa,alia ratione,q̃ ob cruditates, incrassescunt,& exiccantur,vt σπυρωθῶσι, id est,in gyros seu spyras cõuoluta reddãtur,instar deiectionis caprarũ,vt habet Gal.secundo prorrhetici,& quarto de ratione vic.acut. Nempe, quia pluscũlũ retinentur,& à copia igneæ caliditatis exiccãtur,& inspissantur. Ex hoc tamẽ nihil ad rem argumẽtatio cõcludit:nec ob cruditatem id accidit,cũ ne vni quidem per morbi initia exeant talia excremẽta,vt dicto libro prorrhetici testatur Galenus.

Expoſitio Hippocratici aphoriſmi.

Sermo quartus.

Ippocratica ſentẽtia, quam enarrandam ſuſcepimus, ſcripta eſt in hunc modum: Πέπονα φαρμακεύειν, καὶ κινέειν, μὴ ὠμά. μηδ' ἐν ἀρχῇσι, ἢν μὴ ὀργᾷ. Τὰ δ' πλεῖς οὐκ ὀργᾷ. id eſt, Cõcocta medicari, atq; mouere, non cruda: nec in principijs, niſi turgeãt. vt plurimum verò non turgent. Ita communiter vertunt. ego tamen, pruriant dicerem potius quàm turgeant, ſumpta à laſciuiẽtibus animalibus ſimilitudine, vt ait Galenus. Sunt qui explodant verbũ illud, nec in principijs: quod tamen Galenus legebat, vt citat in commentario aphoriſmi vigeſimiquarti, eiuſdẽ ſectionis, & lib. 8. de cõp. med. ſec. loc. primo criſ. c. 9. de totius morbi tẽpo. & lib. 4. de ra. vic. cõm. 38. Docet nos Hippo. eo verbo, in principijs magis ſubeſſe cruda, túmq; magis humores turgere. Peculiarẽ quoq; vim habet illa particula, propter craſſa excrementa, & ſynceros humores, qui crudi nõ ſunt, nec cõcoqui poſſunt: tamen in principio nõ educũtur, quia extenuãdi pri⁹, & incidendi ſunt, & meatus fluxiles reddendi. eo magis, quia cruditas, quæ fit in principijs morborũ, nõ omnino idem eſt, cũ ijs, quæ ipſe ὠμὰ vocat. Principiũ intellige, primũ. vel ſecũdum diẽ, apho. 24. lib. 1. & lib. quos opor. purg.

Expoſitionem iam ipſam aggredior, duas conſyderans rationes, & extrema duo. Ratio altera concedendę purgationis, altera prohibēdæ. Extremorum duorum maximè diſtantium, alterum erit veluti exemplar, ſiue canon, eorum humorum, qui purgari nequeunt: id erit crudus propriè dictus humor. Alterū, eorū quos purgare quouis tempore licet: id erit turgens humor. Comparatione ad hæc duo extrema facta, omnes humores medios colligemus, quos purgare liceat, nécne. Ratio prima, quare poſt concoctionem ſit purgādum, traditur in commentario Galeni: Quia poſt concoctionem habemus naturam pharmaco adminiculātem. eadem ratio in lib. quos oporteat purgare. Tunc enim, natura pellente, & pharmaco attrahente, facilior ſequitur eductio. Pellit verò natura, poſtquàm concoxit, & ſecreuit. Rationē, quare in crudis non ſit purgandum, dicemus, ſi prius, quæ ſint cruda, explicuerimus. nam aliæ aphoriſmi voces, aut notæ ſunt, aut à Galeno expoſitæ. Cruda Hippocrates ὠμὰ vocat. Ariſtoteli aliud eſt ὠμότης, aliud ἀπεψία. Galenus inſuper cum alibi, tum primo ad Glauconem, meminit χυμῶν ὠμῶν καὶ ἀπέπτων, id eſt, humorum crudorum & incoctorum: vt hi ad ventriculum potius: illi ad vaſa, vel totum corpus ſpectēt. Apepſia enim incōcoctio, ſeu quæuis cōcoctionis priuatio dicetur: quam

etiam noſtri cruditatem interpretantur, ſiue ſit inconcoctio, ſiue tarda & difficilis coctio, ſiue deprauata coctio. De quibus Galenus tertio & ſexto de morb. & ſympto. octauo metho. & Aëtius libro nono capi. vigeſimotertio. Humor autem qui verè ὠμὸς dicitur, de quo Hippocrates loquutus eſt, in primis venis, quę ſunt meſenterij & ſimæ iocinoris, potiſſimum generatur, quarto de ſanita. tuend. & tertio epid. idque maximè in pueris, otioſis, & voracibus, libro ſecundo de natu. hum. Refert ſimilitudine pituitam: adeò vt Philippus vitream à Praxagora dictam pituitam, crudum humorem ſimpliciter appellauerit, ſecundo de differentijs febrium capit. ſexto. Quod tamen Galeno non probatur, licet ſub genere pituitæ omnes frigidos humores, qualis eſt crudus, contineri velit. Diſcrimen, quod facit ipſe inter crudum humorem, & vocatam pituitam, habetur primo alimentorum. quarto, & ſexto de ſanitate tuenda, libro de plenitudine, & decimo de compoſitione medicamentorū. Ex quibus locis colligitur, crudum humorem craſſiorem eſſe, quàm ſit pituita, minus lentum, minus frigidum, minus humidum, minus flatulentum: puri, aut ſpiſſo vrinæ ſedimento, aut elixis fabis, ſimilem. Oboritur corpori ab eo, ſi prævaleat, quædam albedo decolor, plumbea, ſeu mixtura ex albo & liuido: pulſus

inęqualis,pręcordia inflata:& alia ſigna,de quibus lib.de miſ.ſang.& 12.metho. De talibus hîc loquutũ Hippocratem,vel ex ipſa dictione conſtat.De illis quoq; aphoriſmũ exponit Galenus,lib.4.de ſanit.tuenda. Varias enim humorum differẽtias ad tria ſimplicia genera reducit.Sanguinem ponit mediũ, citra eum crudos,poſt eum bilioſos.Illi ex ſanguine nõdum perfecto, hi ex eo ſupra modum excocto : illi concoctionem,hi purgationem deſyderãt.Nec alios vnquam humores,præter hos crudos cõcoxit Hippocrates.Nec ideo concoquit,vt eos ſimpliciter pellat:ſed,vt eis concoctis, quæ ſecernũtur excrementa ducat,aut etiã eos ipſos, ſi aſſimilari nequeãt.Licet ergo crudo miſceatur bilis,vel alię fiant mixturæ,nunquam crudum hoc loco vocabimus, niſi aliquid ſit in eo citra ſanguinem ſubſiſtens, quod in ſanguinẽ poſſit concoqui.Et,ſi citra ſanguinẽ ſubſiſtens humor,in alienã qualitatem ſit corruptus, nõ amplius erit crudus.Naturalis itaq; pituita ac etiam acida, inter cruda numerabitur. Sed vitream ſalſam , & alias , ſi concoctione poſſint in ſanguinẽ verti,dicemus crudas,alioqui nullo modo.Ipſa nanq; vocabuli ratio nos docet, vt crudum vocemus , quod concoquentis naturæ metas nondum attigit , attingere tamen eſt aptum. Et cùm de propriè vocato crudo humore, tot locis à Galeno doceamur , dicemus

omnem cruditatis humorum rationem ab eo pendêre,ab eóq; ſumi rationẽ prohibitæ purgationis.Vt in humoribus mixtis, quanto maior erit crudi portio , tanto fortius interdicta cenſebitur purgatio.Vbi autẽ erit minor eius, & bilioſi ſucci maior portio , non adeò delinquemus tentata purgatione:nam tales à crudis recedentes,ad turgẽtes in alio extremo poſitos accedunt.non enim ſic diſtant illa extrema,quin idem crudus humor poſſit turgere. Ratio itaq; prohibitæ pugationis eſt:quia crudus humor ob craſſitiem & frigiditatẽ eſt tardi motꝰ,nec pharmaco obediet:vnde ſymptomata praua ſequẽtur,& tanto deteriora, quãto pharmacum erit in attrahendo generoſius, & humor ob maiorem craſſitiem in reluctando validior,aut magis fixus,& in vijs anguſtioribus. Ex tali itaq; lucta excitabũtur tormina, roſiones, animi deliquia, faſtidium, mali pulſus,atq; vertigines.lib.4.ſanit.tuend.& apho. 9.lib.2.& lib.quos oport.purgar. Item, medicamentum partes ſanas abſumet , contabefaciétque: ac ducto ad imbecillitatem corpore, morbus ſuperior euadet,lib.4.de rat.vic. Itẽ, tentata purgatio,naturam exagitans,cõcoctionem futuram impediet,quæ quiete erat iuuãda,vt eodem loco ſcribit Hippocrates. Adde non ſolum crudos ipſos tunc non eſſe educendos, ſed nec alios expulſioni paratos , ſi crudi

vias obſideant, per quas alij ſunt educendi. Nam ſua craſſitie ac tarditate, perſiſtūt & obſtruunt: ita vt ipſi non educantur, & alijs ſint impedimento, quo minus poſſint educi: vt eleganter Galenus libro quarto de ſanitate tuenda. Cùm itaque in venis meſenterij, & concaui iocinoris, hi potiſſimum generentur, non erunt impedimento ducendis alijs ex ventre humoribus. Ex alijs verò partib⁹, cùm per primas venas futurus ſit tranſitus, duci non permittent, niſi prius ipſi extenuati & inciſi concoquantur, aut partim miſſo ſanguine cautè educantur, libro de miſſ. ſang. Eadem ratione miſſionē ſanguinis purgationi præmittimus, vt medicamentum vias inanitas inueniens, ſine impedimento ſuccos attrahat, libro de renum affectibus, & libro de miſſione ſanguinis contra Eraſiſt. Habes rationem noſtri aphoriſmi non impedire, quo minus leni pharmaco aluum ducas: quia cruditas primarum venarum non impedit ducenda ex ventre excrementa: cùm leniendo potius, quàm ſuccum attrahendo, talis eductio fiat, διὰ τῶν ἐκκοπροπικῶν μᾶλλον ἢ καθαρτικῶν. Quid ſi in ventriculo ſit cruditas? Reſpondeo, ſi ſolum ſit cibus recenter iniectus, expectanda concoctio: ſi multa ſit crapula, vomendum ilicò, vt ex Philotimi & Praxagoræ authoritate docet Galenus libro quarto de ſanitate tuenda. Idem

ex Apollinario, libro ſecundo de compoſitione medicamentorum ſecundum locos, in cura doloris capitis ex ebrietate. idem Aëtius libro quarto, capite quinquageſimoprimo. Nec ibi eſt tutum expectare ſuccorum eiuſmodi concoctionem: nam citius fortè corrumpentur, quàm concoquantur. & ſi concoquantur, obita concoctione, venæ nimis replebuntur, vt ait Paulus libro primo, capite triceſimoſecundo. Accedet etiã ex ciborũ vaporibus, capitis dolor, vt docet Gal. in principio libri de remedijs paratu facilibus. Ideo ſine mora vomẽdũ, ſicut vbi ſunt acidi, & nidoroſi ructus, 8. metho. Per aluũ verò ducere crudos humores ex ventriculo, vetat ratio noſtri aphoriſ. Nam tardus eſt ad motum crudus humor, & anguſtus pylori tranſitus, & multi inteſtinorum anfractus: in quibus remoraretur humor, ſugentibus præſertim meſeraicis venis. Optima itaque ratione, vomitu potius educuntur, veluti turgentes: quia moleſtant, & nondum ſunt firmati, & ampla gulæ via. Sicuti & alios, qui ad inteſtina ruunt, per inferiora ducimus, etiam ante concoctionem: quia inter prurientes ſeu turgentes, eos numeramus, &, quò natura vergit, nos ſequimur. Eadem ratione pituitam aluo ſubducimus, quoniam licet nõ ex venis, ex ventre tamen eam celeriter euacuari, nos docuit Galenus in fine ſecundi de natura.

facult.ad quē modū & crudi aliquādo pellūtur, lib.de plenitud.Nec mireris,quòd permissionē purgandi turgentes,extendam ad omnes deorsum vergentes,& non fixos humores.Nam tales ὀργᾶν quodammodo dicuntur.& ita exponit Galenus lib.8.de composi. sec.loc.his verbis: πέπονα γὰρ φαρμακεύειν ἀξιοῖ καλῶς ὁ ἱπποκράτης μὴ ὠμὰ,μηδ' ἐν ἀρχῇσιν,εἰ μὴ ὀργᾷ.τουτέστιν,εἰ μὴ πρὸς τὴν ἔκκρισιν ἐπάγοιτο ἡ κίνησις, καὶ μήπω μηδεμίαν ἔχουσα πρὸς ἓν μέρος ἑδράιαν ῥοπήν τε,καὶ στάσιν.Id est,Concoctis enim medicandum meritò dignum putauit Hippocrates,non crudis, neq; per initia, nisi pruriāt,siue turgeāt:hoc est,nisi motus ad excretionē agatur,& nōdū vllā habeat ad vnā partem inclinationem firmam, stationémque. Idem lib.4.de rat.vic. statim initio purgādum esse ait,priusquam in partem aliquam firmentur humores.quasi turgere dicātur,illi qui nōdum sunt impacti.Summam ferè totius aphorismi iam tradidimus.Sed latius omnia se pādent,si Manardi rationes , Auicennæ,& Rasis dissidia,de bile concoquenda,vel initio purgāda,adamussim excutiamus . Cum autem nulla eius possit esse coctio,vt ostendimus,ineptè illi concoctionem somniant . An verò sine alia præparatione possit bilis initio purgari , mox ego deducam.Non solum enim bilem exquisitam , sed & serosos humores , etiamsi aliquid

habeant aquoſi ſanguinis,quod concoqui poſ-ſit, initio cum Galeno educam : ratione opti-ma. Nam ſicut crudi propriè dicti, & qui ad e-os accedunt,purgare prohibent:ita turgentes, & qui ad eos accedunt,cuiuſmodi tenues ſunt, id ipſum ſuadēt.Sed prius cum Manardo pau cis agendum.Is enim loco à me citato, parum abeſt, quin aphoriſmum hunc è medio ſubla-tum velit:& quaſi contra eum pugnans,multa adducit,vt crudorum purgationem nobis ſua-deat. Primò, in morborum principijs iureiu-rando probat conuenire purgationes, per caſ-ſiam fiſtulam, diaphiniconem, diaprunis,&c. Sed eſto,hæc partim vera ſint,eadem eſt mens Hippocratis & Galeni.Nec aphoriſmo noſtro prohibentur pharmaca, quæ aluum lubricant, & à ventre materias ducunt, vt expoſuimus. Nam hoc non eſt crudum humorem, ſed ex-crementa trahere. Noſter verò aphoriſmus, crudi attractionem prohibet,non omnem alui deiectionē. Quin Hippocrates & Galenus eis purgationibus initio ſunt vſi.Nam Hippocra-tes lib.4.de rat. victus, lacte aſinæ cocto etiam initio purgat. Galenus etiam purgationibus his præparatorijs vtitur,vt corpus fluxile red dat. Nam id tam cibis, quàm pharmacis face-re conſueuit, vt refert libro vndecimo metho. vbi mulſam, & cibos qui ventrem liquent, & pharmaca quæ modicè proritare poſſint,com-

memorat. in quam classem & cassiam nostram conijcias. Concoctione insuper non expectata, vt turgentia, ita ea quæ circa ventrem molestant, purgamus: idque magis, quando pharmacum lubricando, non fortiter attrahendo, purgat. Nam vis attractoria pharmaci est, quam timent Hippocrates & Galenus: quæ humore non obsequente, mala symptomata solet excitare. Quinetiam natura ipsa bilem, aut pituitam, per vomitum, & per aluum, sæpe in primis accessionibus deijcit: ergo nephas esset, naturæ motus non imitari, cùm ratio aphorismi nobis succurrat: quia naturam habemus pharmaco adminiculantem. eo magis, quia talia excrementa non possunt amplius concoqui, vt ostensum iam est: ideóque pronum est ea vacuare, quando ad inferiora vergunt, & à natura pelluntur. Licet ergo in multis vera dixerit Manardus, tamen aphorismi mentem ignorans, eum perperam damnat. Nam eadem ratione prædictos humores, qua & turgentes educimus: quia naturam habemus adminiculantem. Eaipsa ratione, in tertianis, bilem ad ventriculum confluentem, mox ducit Galenus, primo ad Glauconem. Et Hippocrates libro quarto de ratione victus etiam scammonia initio purgat, ventre murmurante. quod tutius nos benedictis pharmacis tentabimus. Nam obuium est, talē

humorem,velut turgentem, pellere: qui mur-
mur excitando iam prurire videtur.Præterea,
lata via eſt,nec tranſitus per anguſta, vt in ve-
nis hepatis , in quibus maximè cruditas im-
pedit purgationes . Inhibens enim aphoriſmi
ratio , locum non habet in his quæ ex ventri-
culo ſurſum, & ex inteſtinis deorſum pellun-
tur:cũ ſint lati & breues exitus,& humor qua-
ſi turgens,aut ſaltem non fixus.In quibus om
nibus cùm ſint multa perpendẽda,tam ex mo-
do humoris,quàm diſpoſitione corporis,meri
tò dixit Hippocrates , multa præmeditatione
ei opus eſſe , qui in principijs purgare tentat.
Non quòd in aluo exoneranda requiratur mul
ta præmeditatio: ſed in parte humoris noxij,
velut turgentis , educenda.Tunc enim perpen
dere oportet,qualis ſit humor:& quatenus tur
gentium , vel fixorum participationem habe-
at . In corporis diſpoſitione perpendendum,
per quos meatus ſint humores educendi,an ſa
tis illi ſint reſerati , nécne . alia quoque conſi-
deranda, de quibus aphoriſmo vigeſimoquar-
to libri primi . Ad Manardũ iam reuertamur,
qui nullum nõ mouet lapidẽ,quo poſſit apho-
riſmum labefactare.Qualitatem,inquit,quanti
tatẽ,& locum,ſæpius nos cogere,vt ante con-
coctionẽ vacuemus.De qualitate,pbat in turgẽ
te materia.qđ nos fatemur,& aphoriſmus ex-
preſſit.De quãtitate multa adducit,vt excedẽs

modus, plus quàm turgens qualitas, purgans pharmacum, etiam in cruditate requirat. Qua ratione noſtro voraci, & intemperanti ſeculo, purgationem magis commendat. Sed ego, ſi quid noſtro ſeculo audacius purgemus, ob mitiora pharmaca euenire puto, non ob voracitatem, quæ par fuit ætate Galeni. Præterea, ſi ex voracitate quid redundet, vomitu id educendũ oſtendimus. Si alia ſit in corpore cruditas, modum curandi multitudinem crudorũ tradit Galenus lib. 12. metho. 4. de ſanit. tuend. & lib. de cura per venæ ſec. Si ob multa alui excremẽta, purgationes in voracioribus cõmendes, nos has alui deiectiones vltrò cõceſſimus, nec quicquam aphoriſmo noſtro faceſſunt negotij. Nec ob noſtri ſeculi voracitatem, purgationem cõmendare, ſatis conuenit cum Galeno, qui ob eam ipſam cauſam diuitibus conſulit mitti ſanguinem, lib. 11. metho. quia plures ex luxu, & ciborum intemperantia, ſuccos congeſſerunt. Proprium enim miſſionis ſanguinis eſt, ſuccorum indiſcretam multitudinem minuere: cùm pharmaca ſecretos potius humores attrahant, quos in cruditatibus poſt voracitates non inuenias. Sed ponit Manardus eſſe crudorum copiam cum febre, & venam ſecari non poſſe. Tũc quidem, aut curatio per frictiones, & inediam, quam duodecimo methodi tradit Galenus, eſt tentanda: aut, ſi vires ſunt imbecillæ, deſpera-

tus eſt æger, prædicendáque mors, non manus admouenda. Quòd ſi leui pharmaco ventrem lenias, aut ab excremẽtis exoneres, ſæpius iam diximus, eam vacuationem ab Hippocrate nõ vetari, quia illa nõ eſt vacuatio crudorum. imò tunc largius eſt aluus ducenda, quando non licet ſanguinem mittere. Quoniam exonerato ventre, & reſeratis meatibus, etiam aliquid noxij humoris facilius pellet natura. Sin valentio re pharmaco crudos humores aluo deijcere tentes, mala ſymptomata adduces. Non igitur video, qua ratione nos ad crudi purgationes quã titas cogat: niſi hac vnica, quam tamen non attendit Manardus. Nam ex ſuperabundantia fieri poteſt, vt humor aliquis turgeat, & pellendus ſecernatur: vt habet Aëtius libro tertio, capite vigeſimotertio, & Galenus aphoriſmo primo, libri quarti. Quantitas tunc purgationem requirit, non ob copiam, ſed quia turget. Synceri etiam humoris quantitas purgationem requirit, vt docet Galenus libro quarto methodi, ſed de crudo nos loquimur. Habet pro ſe Manardus interpretes Auicẽnæ: qui Fen prima tertij, tractatu primo, cap. 29. *Vbi*, inquit, *timetur ebullitio materierum, ſi expectemus cõcoctionem, ut à calore fuſa & aucta materia faciat diſtentionem doloroſam, tutius eſt à uacuatione incipere, ut reliquum concoqui incipiat.* Quæ verba, ſi per vacuationem miſſionem ſanguinis intelligat,

vera ſunt,& à Galeno tradita aphoriſ. vigeſimonono.lib.2.Sed Manardus nõ veretur purgationi tribuere quod proprium eſt miſſionis ſanguinis: & verbum vacuare de purgatione interpretari, contra ipſiuſmet Galeni expoſitionẽ,aphoriſ.17.libri ſecũdi & 2.prædi.cõm. 14.Idem octauo & vndecimo methodi,prẽſtare ait,vt per miſſionem ſanguinis maiore parte vitioſi ſucci educta,ad reliqua accedamus re media:leuata enim natura alacrius reliqua concoquet. Proprium itaque miſſionis ſanguinis eſt,minuere materiam quæ concoqui debet,vt reliquum facilius concoquatur, libro de curatione per venæ ſectionem, quarto de ſanitate tuenda,& dicto aphoriſmo vigeſimonono.Purgationis verò ritè peractæ proprium eſt, non ſanguinem, ſed materias ſecretas educere: libro de natura humana,& de atra bile,& de purga.medicã. facultate.Materiæ enim quas purgatio educit,aut nullo modo, aut ægrè concoqui poſſunt.imò concoctionem agitatione corporis ipſa impedit,lib.4. de ratione victus,cõmentario quadrageſimoquarto. Aegrè autem dixi, propter pituitam,& alia ſeroſa recrementa:quæ etiam educuntur,quia difficulter nutriunt, & facilè deſcendunt. Item, Hippocratica eſt regula, in purgationibus talia eſſe educenda,qualia ſponte,& vtiliter ſolet natura pellere.Non ſæpius verò vidit Manardus,naturam

vtiliter initio pellere partem malè cocti ſanguinis. Sed ille, communem ſequutus errorem, credidit, cruditatem hanc eſſe humorum illorum ſeparatorum: cùm verè cruditas ſanguinis ſit in morborum principijs. Quòd ſi quis ſit alicubi ſecretus humor, de eius purgatione in ſequentibus dicemus. Nunc ſat nobis ſit oſtendiſſe, veram in morborum initijs cruditatem, quæ vrinis indicatur, & quæ purgationem inhibet, eſſe ipſius ſanguinis, ſeu alimenti. Diſpice iam Lector, quàm inepta ſit purgatio, ad incocti ſanguinis, vel crudi & craſſi humoris partem educendam: nec talis vnquam minoratiuo, ſi ſapis, vtitor. Sed cùm tutò minorare voles (ſi hoc minorare eſt) ſolas materias communes, ſeu excrementa, ducito. Nam ſolet, ex ſequela quadam, reſeratis meatibus, aliquid noxij humoris ſecerni, & educi: cùm ſola natura, nobis non iuuantibus, id ſoleat per paroxyſmos efficere. Præterea, attrahente pharmaco licebit vti, cum præmeditatione: perpendendo quatenus humor redundat, turget, ad ventrem confluit, aut mobilis ſatis eſt, non multa impediente cruditate. Non eſt tamen, quòd temerè quis putet, poſſe ſe minoratiuo pharmaco, crudam illam, & in loco fixam materiam, in duo ſecare, & partem auellere. nam id nec aphoriſmus noſter, nec ipſa ratio permittit. Permiſit

autem Hippocrates,cum prædictis meditationibus,in ſolo initio,nec in alio vllo tẽpore, nõ cocta purgare: quia in nullo alio tempore humores ita mobiles & pruriẽtes inuenias,cùm ſoleant poſteà in partẽ aliquam firmari.Quod luculenter docuit Galenus libro quarto de ratione victus acut.Vel ſtatim,inquit, ab initio, priuſquam in partem aliquam firmentur humores,medicandum eſt:vel poſtea,cùm ad maturitatem fuerint perducti.Alia etiam ratione initio potius permittenda purgatio, quia mitiora tunc ſunt ſymptomata.Vnde Hippocrates rationem tradens purgationis initio faciẽdæ, circa initia & fines ſymptomata dixit imbecilliora.Nec initio ſæpe concedenda attrahẽtis pharmaci purgatio,cùm dicat Hippocrates magna ex parte non turgere humores . Nam in ſolis illis morbis , qui breui ſunt terminandi, contingit humores turgere , vt qui in talibus ſunt tenues & mobiles. In longis nunquã turgent,ſed fixi ſunt,& craſſi:ideóque ſemper in eis iubet Galenus expectari concoctionem, aphoriſmo vigeſimoquarto,libri primi.Nec locus tunc eſt illi coniecturæ,ſi quid videtur mouendum,moue. Non eſt ergo , quòd ex hoc aphoriſmi loco , omnes purgationes ſibi initio licere, putet Manardus : cum propter ſanguinis miſſionem ſit magis ab Hippocrate dictũ: ſi quid videtur mouendum,moue: cum etiam

in alio aphorismo,rarò esse in principio purgã dum dicat:& in nostro,tantũmodo,quãdo tur gent.Omnis enim initio purgandi permissio, ab illa turgẽdi ratione pẽdet: sicut omnis pro hibitio,à cruditate.A' turgentibus extenditur permissio,in tenues,bilioſos,aliquam motionẽ excitantes,aut aliquò erũpentes, aut saltẽ non fixos,in quibus omnibus maior est,vel minor permissio,sicut cruditas magis vel minus im pedit,pro varia crassi & viscosi ratione.

Tertiò,vltra qualitatem & quãtitatem,etiã locum cogere ad crudorũ purgationes,in pleu ritide conatur ostendere:quod nos falsum esse mox demonstrabimus. Si locum dixisset ven trem,nos facilius inde purgationes admittere mus:sed illud ob quasi turgentem , & eo ver gentem humorem,vt dictũ est. Ex quibus col ligimus,ob nullam suarum exceptionũ, apho rismi nostri regulam delirare,sed sibi adamus sim perpetuò constare.Deinde Manardus va rios citat locos Galeni,in quibus,non expecta ta cõcoctione purgabat:vt in vlceribus,vulne ribus,cacochymia,alopecia, achoribus, dolore capitis,inflãmatione oculorũ, &c. lib.4. & 14. metho.& de compo.med.secundum locos. Aduertẽdũ,totius corporis vacuationẽ locali bus medicamentis præmitti,nulla subsistẽte fe bre,aut venosi generis cruditate, quæ in febri bus oboritur.Vnde meritò Galenus totũ pu

gat nõ expectata coctione Quomodo enim expectabitur coctio,vbi non eſt cruditas?Si enim à corpore ſano & cacochymo, humorem educere velis,eam concoctionem non expectabis, quam barbari ſuis ſyrupis , ſemper, & ineptè moliuntur:multóque magis aberrant,frigidos propinando ſyrupos: quos in febribus alia ratione eſſe admittẽdos,infrà dicemus. Nunc ſat nobis ſit,concoctionem non expectãdam, nec moliendam, vbi non eſt cruditas. Quòd ſiqua in achoribus, cephalalgia,phlegmonis, & alijs eiuſmodi partiũ affectibus,acciderit ex fluxione,aut ex alimento eò deſtinato,loci illius cruditas:illa nec admodũ vrinis indicaẽ, nec purgationẽ totius impedit.imò nec per aluũ ſolẽt educi talium locorum materiæ , ſed per alios meatus.vt 7.11.& 13.metho.& 2.ad Glau.do cet Galen⁹.At ſi humor ſit per aluũ educẽdus, in quacunq; ſit parte,ſi crudus ſit,iuxta aphoriſmi regulam,poſt concoctionẽ educetur. Teſtis Galenus in lib. quos oporteat purg . Quĩ, inquit , in parte certa corporis fixi ſunt ſucci: hos anteq̃ concoquãtur,nullo alio auxilio mouere,neq; medicamentis tentare oportet.idem apho.primo lib.4.& lib.8.de compo. med. ſecundum locos,vbi etiã in inflammatione hũc aphoriſmum cõmendat Galenus,quem Manardus ſugillat.Nec tamen ideo probat,crudũ humorem,in quacunq; ſit parte, poſſe ante cõco-

coctionem educi. Subsistente verò in parte aliqua crudo affectu, modo nulla sit in venis, aut ventriculo cruditas, euacuamus totum, reuellentes, ne quid in affectam partem fluat: quod aphorismus noster non vetat.

Demum citat Manardus Galenũ & Hippocratem, in lib. de rat. vic. acut. vt qui purgatione vtãtur, materia nõ turgente, nec cocta. Nos contrà, prohibere eiusmodi purgationes Hippocratem dicimus, vrinis existẽtibus crudis, & Galenus com. 43. lib. 4. Corporis, ait, purgationem prorsus vitare oportet, cùm in humoribꝰ est cruditas. At in morbo laterali (inquit ille) Hippocrates initio purgat: & Galenus, prima, secunda, quarta, & quinta die, medicamenta se dedisse commemorat. Hippocratem nos fatemur, lib. 2. & 4. purgationem imperare, dolore eas, quæ sub septo sunt partes infestante. Sed illud eum in principio iubere nõ omnino quis concederet, cùm antea appareat durasse dolorem, nec varijs fomentis fuisse leuatum. Verùm fateamur nos, de purgatione in principio facienda eum loquutum: nam ita exponit Galenus: & Hippocrates ipse, mox tolli fomenta iubet, & purgationem, vel sanguinis missionem tentari. Perpendere debuisset Manardus, dissidium inter Hippocratem & Galenum, in admittenda purgatione ibi exortum, pendere ex turgendi extensa ratione, iuxta illas sen-

tentias:ſi quid videtur mouẽdũ, moue:&,raro id,ac cũ multa præmeditatione faciendũ.Quæ omnia,quomodo ſint perpendenda,non piget, vt rem neceſſariam,repetere:vt conſyderetur, quatenus materia turget, deorſum vergit, aut mobilis eſt:&quatenus cruditatis multum aut parum habet:&quatenus eſt corpus ad purgationes aptum,& meatibus reſeratis, ac humoribus extenuatis,præparatum.In his itaq; conſyderãdis obortum eſt diſſidium inter Hippocratem & Galenum,& vterq; rationem habet. Nam Hippocrates purgat initio materiam,velut turgentem,& deorſum vergentem, ad partes ſepto tranſuerſo inferiores. Galenus verò id tanquam periculoſum dimittit, veritus (vt libro tertio refert Paulus) turbationem, quam purgatio accerſire poſſet, reſiſtente crudo humore.Item ob calorem acutæ febris vitat Galenus attrahentia pharmaca, quæ calida ſunt. Denique periculoſum ait,in medicamenti exhibitione aberrare in morbis acutis,apho. 24. libri primi.Porrò,quia noſtra benedicta pharmaca leniter agunt, non ſunt ita formidanda. ſed etiam illa minus ſufficienter attrahũt, etiã ſi pectorali decoctione adiuuentur. Quoquo tamen modo nihil cõtra aphoriſmum probat Manardus:nam ex dicta turgendi ratione,purgatio ibi permittitur. Nec ex libro quarto aliquod poteſt emendicare ſuffragium. Nam cũ

die quarto purgandum pleuriticũ doceat Hippocrates, ſeu quiuis ille fuerit anthor: Galenus rem omnem iuxta aphoriſmorum præcepta definiens, ait: non eſſe perpetuum, quarto die purgari debere: ſed vel ſtatim in principio, materia turgente, id eſt, non fixa: vel expectata coctione. Vnde colligit, ſe aliquando primo & ſecundo die medicamẽta dediſſe, vbi per corpus aberrabat aliquis, in partem nullam firmatus humor. Aliquãdo verò, quarto vel quinto die, apparente iam concoctione. Ecce claram diſtinctionem Galeni, qua & purgationem initio factam, & poſtea factam defendas: nunquam tamen crudos ſuccos, non turgentes, initio cũ Manardo vacuabis. Parcãt mihi eius manes, ſi pro veritate, quod ſentio, ingenuè profiteor. Nam ferẽdum non erat, vt in medicam artem iam renaſcentem, error aliquis irreperet: quod facile alioquin foret, eius viri authoritate, quæ magni à multis penditur. Nomini eius pepercíſſem, ſi ſperaſſem, eum ſua poſſe emendare. Hac enim ratione, viuentium nominibus parco: non quòd in eos pugnam detrectem.

Supereſt Arabum certamen, in quod & alij plures ſunt ꝓuocati: An tenues humores, prę-paratione ad expulſionem egeant. In idem nos quoque deſcendere coacti, nouis ſtratagematis vtentes, copiam pugnandi hoſti faciemus. Prodeat igitur primus in aciem princeps Auicen-

na:qui Fen prima quarti,tracta.ſecundo,ca.ſeptimo ſic ait: *Humoris autē cholerici digeſtio eſt, ut conuerſus à ſubtilitate fiat ſpiſſus:& aqua quidem frigida facit illud.* Si alijs validioribus machinis non impetant nos Arabum turbę,facilè huius imbelles ictus retundemus,copias ex Ariſtotele & Galeno,in præſidijs iam antea collocatas,euocantes.Digerente ſiquidem barbaris frigida aqua, illi nec ad concoctionem,nec digeſtionem vtentur . Quin potius, ad finem primi de ratione victus acut . affirmat Galenus,eam craſſos refrigeratione reddere humores,denſaréque tumores, vt euacuari vel digeri difficilius poſſint . Eadem tradit nono methodi , vbi frigidæ refert incommoda . Alibi quoque paſſim,tumores ex infrigidatione fieri ſcirrhoſos ſcribit, & frigidæ potum ante ſigna cōcoctionis propinari vetat. Scopus enim aquam porrigendi eſt Galeno,qualitatem alterare,& humorum feruorem ſeu acrimoniam extinguere.Quarto nanq; de ratio.vict. altero duorum modorum curādum docet cauſonem: bilioſos humores vacuando,aut eoſdem extinguendo:ibique extinctionem frigidę potu molitur.Eadem verba apud Paulum libro ſecundoc,apite vigeſimonono. Hinc fit, vt frigidæ potus eos per accidens vacuet : quia extinctæ materię præualet expultrix,& eam pellit.Sed, ſi frigidam propinat Galenus poſt ſigna con-

coctionis, quomodo Auicenna ad concoctionem vel digestionem iuuandam ea poterit vti? Nec prætextu abusus illius vocis, digestio, defensionem inueniet. Nam quacunque sit vsus Arabica voce, facultates naturales eum ignorasse iam ostendimus. Falsum quoque est, ea ratione commendare talia bilis digestiua. Primò, quia non conueniunt ante signa concoctionis. Secundò, non conueniunt bili crassæ obstruenti. Tertiò, quia nec in tertianis exquisitis, frigidæ potu vtitur Galenus. nam genero sius est remedium, & conuenit potius in summis febrium accessionibus. Quartò, quia bilis, vt ad purgationes præparetur, non debet incrassari, vt ostendam. Quintò, quando ita esset, vt bilioſis semper conueniret, non tamen est digestiuum præsidium, quod ad purgatorium aliud pharmacum, materiam præparet: cum ipsa frigidæ potio, velut vltimū præsidium, bilem per accidens educat, & sibi præparatam esse materiam exposcat.

Prodeant deinceps aliæ principis copiæ, quibus, deuicto & fugato Rase, bilioſorum humorum digestionem nobis obtrudat. Rases nanque Pœnus libro decimosexto sui continētis, licet digestiuam facultatem ignorauerit: in eo tamen optimè sensit, quòd bilioſos & tenues succos, sine aliqua incrassante præparatione, credidit per initia esse purgandos. Quod

Galenus antea docuerat in libro quos oportet purgare : vbi ſic ſcripſit : *Principio nanque ſeroſos ac tenues uacuabis ſuccos, in craſſis ac uiſcoſis, cuiuſmodi natura ſunt pituita & atra bilis, concoctionem expectans.* Eadem verba apud Oribaſium libro primo ad Euſtadium ca. de catharcticis, quod eſt caput decimumſextum, & apud Aëtium libro tertio, capit. vigeſimotertio. Tertio quoque prædictionum: *Sæpe*, inquit, *definitum eſt, humores calidiores, tenuioréſque, paratiſſimos eſſe ad excretionem.* Item aphori. vigeſimoquarto libri primi, humores quàm maximè fluxui paratos, dicit eſſe tenues. Tenues etiam commendat aphoriſ. nono libri ſecundi, vt purgatio ritè ſequatur. Et ſeptimo methodi bilem mox educit, pituitæ lentori incidentia præmittit. Adde, quòdin exquiſitis tertianis citius, quàm in alijs, balneum concedimus, quia bilis ob tenuitatem, facilius per cutem excernitur. Nec contradicunt hæc aphoriſmo noſtro, crudorum vacuationem prohibenti. nam ſi exquiſita ſit bilis, nulla eſt in ea cruditas, nec eſſe poteſt concoctio. Si ſeroſi ſint, & tenues humores, crudi aliquíd habentes : etiam aphoriſmus non obſtat. quia vergunt potius ad turgentium, quàm ad aliud crudorũ extremũ. Tenues enim ſunt, & facilè mobiles. Reſpondendum iam eſt Auicennæ argumentis, quæ

integris eius verbis adſcriptis proferamus. Nõ *auſcultæs*, inquit, *uirum* (Raſim ſubaudi) *qui exiſtimabat, quòd intentio in digerendo eſt ſubtiliare: & quia humor calidus eſt ſubtilis, non eſt neceſſe, ut ſubtilietur.* Res *enim non eſt ſicut dixit. imò intentio in digerendo eſt æquare ſubſtantiam materiei, ut fiat præparata ad expulſionem facilem.* Et *ſubtile imbibitum, & uiſcoſum adhærens, non eſt præparatum: imò neceſſarium eſt, ut inſpiſſetur ſubtile, & ſubtilietur ſpiſſum, & incidatur uiſcoſum.* Hæc ſit prima ratio. ſequitur altera. Et *ſi uir iſte* Raſis *nõ audiuiſſet in ſermone antiquorũ, de digeſtione tenuium, quia tamen audiuit de digeſtione craſſorum & uiſcoſorum: oportebat, ut ſciretur hoc per illud.* O quàm bellè concludit. imò ſeipſum damnat, concedens id in ſermone antiquorum non legi. Tertia ratio. Et *quia non oportuit, ut in ſeipſo conſyderaret, & diœret: quare urinæ in febribus acutis non habẽt in principijs earum ſedimentum, & deinde fiunt habentes ſedimentum.* Nam *ſedimen laudabile non aliud eſt, niſi humor faciens ægritudinem, qui iam digeſtus eſt.* Hæc ille. Tu verò, vt obiter dicam, caue, ne hoc ſedimen te fallat. Nam ex ſyncero humore, aut putredine, fieri non poteſt hypoſtaſis, ſicut nec pus. Sed fiunt ambo ex incocto ſucco, qui aſſimilationem ſubſtantię non valens conſequi, aſſequutus eſt coloris ſimilitudinem. Hinc fit, vt, ſi nulla ſit coctio,

nullum ſit in vrina ſedimentum: &, ſi perfectiſſima ſit coctio, vt in ſanis exquiſita victus ratione vtentibus, etiam nulla ferè ſit hypoſtaſis: quia totum alimentum perfectè aſſimilatur, nec aliquid eius in pus, vel fæcem illam degenerat. Vnde, licet fęx illa concoctionis perfectionem in morbis indicet: verè tamẽ, ſi rem totam conſyderes, non eſt integra coctio materiæ ex qua fit hypoſtaſis: ſicut materia tranſiens in pus, non ita perfectè concoquitur, ſicut quæ aſſimilatur. Hac ratione in pueris & voracibus ſedimentũ apparet copioſius, quàm in eis qui exquiſito victu vtentes, quicquid eſt familiare, perfectè aſſimilant. ſicut & vrina plus habet ſedimenti tempore cõcoctionis ſanguinis, quàm poſtea, primo criſeῶn, capite duodecimo. Cæterum, quoquo id modo ſe habeat, copioſa ſubſidentia à valida fit virtute. nam multum euincitur alimenti, à quo multa ſecernitur hypoſtaſis: etiamſi ea ipſa non fuit perfectè aſſimilata, ſed fuit velut cruda veri alimenti pars, vt ait Galenus in commẽtario ſecũdo de natura humana, & in fine primi prędictionum. Ineptè itaque credideris, humorem putrefactum, per concoctionem in hypoſtaſim venire. Imò anteuertit putredinem natura, & concoquere nitens humorem crudum, qui erat putrefaciendus, fæcem illam, inſtar puris genuit. Materia verò, quæ tota eſt putrefa-

ćta, vel à febrili calore exuſta, aliter digeritur, vt in fine huius ſermonis dicemus. Hęc obiter dixerim, quorum probationes ſuperius inuenias. Ad Auicennam reuertor: cuius hæc ſit vltima ratio: *Natura in principijs ægritudinum deberet facere criſim, & expellere materiam, ſi parata eſt, quando eſt tenuis. Cum ergo natura id non faciat, nec nos debemus id arte tentare: ſed expectanda bilioſi humoris incraſſatio.* Demum, velut canens iam triumphum, ſubdit princeps Auicenna: *Et eſſet melius huic uiro Raſi, ut bene opinaretur de illis qui fuerunt, ſicut Galenus & Hippocrates, in his, quæ ſcripſerunt de hoc, & ualde attenderet.* Deum immortalē, q̄ attentum auditorē Hippocratis & Galeni, ſe nobis præbet magnus Auicēna. Quē vel ex his colligas, nunq̄ in Galeni lectiōe verſatū. Sed quatuor ei⁹ rationes diluam⁹. Prima eſt tyrāni pręcipiētis, vt, qđ ſubtile eſt, inſpiſſetur. Nos in verā cōcoctione inſpiſſationē fieri ꝓbauimus. Præparatio verò ad expulſionē, lōgè alia res eſt: nec in ea quærimus naturæ aſſimilationē: imò q̄ maximè à naturę ſimilitudine materias abducere, vt facili⁹ pellātur. qđ extenuādo fit, nō incraſſando. Sed ait ille, ſubtiles humores īmergi mē bris, niſi incraſſent. Nos pari facilitate dicem⁹ educi: exiſtēte eadē ſubtilitate, q̄ exit⁹, vt īgreſſus, erit cauſa. Qz ſi poſtq̄ immerſa eſt bilis incraſſeſcat, & obſtructiōes pariat: extenuabim⁹

tunc, & detergebimus, nequaquam cum Auicenna incraſſantes. In ſecunda argumentatione iam apparuit, non valere complexionē eiuſ modi: in præparatione ad purgationem extenuabitur craſſum: ergo & incraſſabitur tenue. Cæterum, videamus, an etiam apud antiquos ſit expreſſus ſermo de inſpiſſatione materiæ ſubtilis educendæ à corpore. Hoc nanque & apud Galenum ſæpius inuenias. Libro enim primo ſim. med. cap. vigeſimoquar. ita ſcripſit: *Quod planè tenue eſt, id medicamenti anſas effugiens, prætərlabitur, atque in parte figitur, haud etiam retrorſum, ſicut id quod craſſum eſt, repulſum.* Et quarto de locis affect. cap. 9. *Bifariam accidere poſſe*, inquit, *ut uehementer tuſſiendo, pauca quis expuat. alij enim ob craſſum, lentúmue humorem, alij ob tenuem id facere uidentur. Siquidem tenuis humor, cùm ſubleuatus eſt, inter tuſſiēdum à ſpiritu diuiſus refluit.* Eadem ferè verba in primo epid. circa finem primæ tempeſtatis, tertio de rat. vict. in principio, & libro ſecundo criſ. cap. 10. ibíque docet concoctione mediocrem craſſitiem acquiri, & facilius tunc ſuccos educi. Hac ratione libro ſeptimo de compoſitione medicamentorum ſecūdum locos, refert Andromachi confectiones bechicas, quæ tenues ſuccorum fluxiones incraſſent. Adde Hippocratem & Galenum locis innumeris, tenuitatem ſemper eſſe cruditatis ſignum docentes:

& concoctione parari craſſitiem, facilioremque tunc eductionem. His authoritatibus fretum, non temere damnandum dixerit quis Auicennam. Sed in manu eſt reſponſio, ſi quis ſimilia à diſſimilibus diſcernere norit. Nam euacuantium præſidiorum, quædam attrahendo vacuant, cuiuſmodi ſunt catharctica: alia pellendo, vt adſtringentia in tumoribus, & aër ipſe pellens in tuſſi. Actio prima eſt naturalis attractio: ſecunda, violenta quædam expulſio. Ad primam eductionem per purgantia, de quibus eſt nobis ſermo, paratiſſimi ſunt tenues humores, vt qui attrahenti pharmaco facilius obediant. In repulſione violẽta, quæ fit initio phlegmonarum, tenues humores nequeunt ita manu pelli, quin relabendo aliquid in partem decumbat, vt dicto cap. vigeſimoquarto. In tuſſi quoque, cum ab ipſo ſpiritu, veluti manu quadam, violenter ſurſum pelluntur ſputa: tenues refluunt humores. vnde fit, vt difficilius pellantur, quàm poſt mediocrem craſſitiem. Conſtat iam, ex his non probari, quod de bilioſis ſuccis in purgatorio pharmaco Auicenna contendit. Sed an confectionibus illis Andromachi dicemus concoqui bilioſos humores? Nam craſſiores euadunt, ſicut in concoctione naturę. Reſpondeo, Andromachum compoſuiſſe narcotica frigida, ad ſomnum inducendum, & extinguendam acrimoniam bilioſæ fluxionis. Con-

coctio nulla eſt ab eis: ſed concretos reddũt humores, & inſtar aquæ frigidæ vacuationẽ promouent. Nam extincti humores, & craſſitiem quandam adepti, facilius veluti manu pelluntur. Hęc tamen craſſities diuerſa eſt à craſſitie concoctionis. Nam hæc eſt concretio quædam à frigido: in cõcoctione autem eſt vera inſpiſſatio, quam Ariſtoteles à cõcretione ſecernit. Supereſt enucleãdum, quod ex Hippocrate & Galeno adductum eſt, tenuitatem eſſe ſignum cruditatis. Illa enim tenuitas, quæ imperfectæ concoctionis eſt indicium, & vacuationem prohibet, non eſt tenuitas humoris educendi, ſed educti excremẽti indicantis. Nos loquimur de humore ipſo educendo, qui ſecluſa concoctionis ratione, propriam ex ſua natura tenuitatẽ habet, vt bilis. Tenuitas enim lotij vacuationẽ prohibẽtis, eſt tenuitas per accidẽs, minor q̃ eſ ſe ſoleat in eadem ſpecie excremẽti: & illa impedit purgationem. Tenuitas autem naturalis, humoris vel excremẽti intus manentis, de qua eſt Auicennæ quęſtio, nullomodo impedit purgationẽ. Principis itaque tormenta arcem noſtram non attingunt, nec aliquid, quod ad rem faciat, tales argumentationes concludunt. Nec eius alię duæ rationes aliquid probant, nec ipſe rationem intelligit, quare in febrium principijs appareat vrinarum cruditas: vt tunc nec criſis fiat, nec purgare liceat. Non enim ob bi-

lis cruditatem id accidit. Porrò, haud ſecus quàm Auicenna, cæcutiunt aliqui ex recentioribus: qui dum vitare cupiunt huius errorem, eò delapſi ſunt, vt in nullis morbis bilioſis dicant expectandam præparationem, aut concoctionem aliquam: ſed coctam eſſe ſemper, & paratam materiam. Horum error non minus, quàm ille Auicennæ eſt pernicioſus. Necipſi reddunt rationem, quî fiat vt in eorum morborum initijs appareant vrinæ crudæ: & quare natura non faciat tunc criſim, ſi cocta eſt, & parata materia. Falſum eſt etiam quod dicunt, humores omnes bilioſos eſſe turgentes, cùm & fixos, & obſtruentes inuenias. Alia igitur nobis erit ratio, qua purgationem, etiam in bilioſo morbo, ex aphoriſmi noſtri ſententia, non temerè admittemus, vrinis apparentibus crudis. Nec tamen propterea concoquendam bilem, aut incraſſandam fatebimur. Sed expectandum dicemus, vt poſt venoſi generis concoctionem, eam natura ſecernat. Dicamus igitur duas prohibitę purgatiõis cauſas, etiam in bilioſis morbis. Primò, in humore illo bilioſo, qui obſtructionem facit, ſubeſt aliqua craſſities, aut lentor, nõ incraſſationes Auicẽnæ, ſed extenuãtia, & incidentia deſyderãs, antequam vacuet. Quòd ſi tali humori ſit crudi aliqd admixtũ, multò minus erit vacuandus: nec criſis fieri poterit, donec ſit coctus. Secũdò dicimus:

ſi fieri poſſet,vt humor ille totus eſſet exquiſita bilis,tenuis, nullam faciens obſtructionem, ſed alia ratione putreſcens febrem accenderet (non enim à ſola obſtructione fit putredo, libro de inæquali intem.& ſecundo de differen. febr.capit.12.) adhuc fieret cruditas in morbi initio. non quòd exquiſitus humor morbum faciens ſit crudus: ſed quia miſcet ſe venoſo generi:& quia ab irruente febre impeditur cõ coctio ventriculi & hepatis:vnde vrinæ & alui deiectiones crudæ.Quin vrinę cruditas in morborum initijs, ab hac inconcoctione hepatis & venarum potius oritur, quàm à cruditate obſtruentis humoris, qui ſeorſim in parte fixus non ſic inficit vrinas.Hinc meritò Gordonius, ſæpe,ait,decipi medicos in quartanis. Nam ſi quando æger pauca aſſumẽs, quiete & ſomno bene concoquat, apparebit vrina cocta,ob bonã alimẽti cõcoctionẽ in venoſo genere:cũ tamen morbus,ſiue humor obſtruẽs lienẽ ſit crudus.Subſiſtẽte igitur in venis multa cruditate, quæ vrinis indicatur,etiã ſi morbꝰ ſit bilioſus nõ licet initio attrahẽs adhibere pharmacũ,niſi cum multa prę̃meditatione,vt dictũ eſt.Sed ex hoc non cõcludet Auicenna,bilem,vt ad purgationes præparetur,eſſe incraſſandam.

Satisfactum Auicẽnę reor,explicatúmq; abũ dè aphoriſmũ,ſi illud tantum quæſiero: Quando velit Hippocrates, nos confidẽter purgare:

nunquam enim licere videtur. Ante concoctionem hîc non permittit: post eam alibi vetat. Nam concoctio in statu magis fit: cùm verò morbi consistunt ac vigēt, melius esse ait quietem habere. Ad hoc dictum antea est ex Galeni verbis, aut initio purgandum, aut concoctionem expectandam. Initiò, missione sanguinis magis olim vacuabatur, nunc ob medicinas benedictas est frequētior purgatiōis vsus. Vt autem quæstioni plenius satisfaciam, colligam purgationum tempora, & quotiens liceat in principio medicari.

¶Primò, vt ait Galenus in libro de totius morbi temporibus, præstat initio aluum ducere, glande, clystere, vel leui pharmaco, vt ab excrementorum onere leuētur intestina, & alijs succis educendis reddātur paratiora. Prodest hęc leuis inanitio interim ad maiora. nam siquid noxij humoris circūstat, etiā educit: & cōmunioribus his meatibus reseratis, sæpissimè per quādam seēlam ex supioribus partibus aliqd emittit: vt lib. 2. de com. med. secundū locos, & 12. metho. tradit Galen⁹ de clystere: qui etiā ex mesenterio, & simis hepatis, frequēter educit.

Secundò, licebit in principio vomitum prouocare: quando est in ventriculo repletio crudi tatis, aut humores eò confluunt.

Tertiò, quando ad inferiora vergunt humores, vt eò erūpere velint, vel intestina murmu-

rant,vel eſt ſub prȩcordijs moleſtia,genuũ gra uitas,lumborum dolor.ſequendus eſt enim na turæ motus:nam id turgere quodãmodo eſt.

Quartò,ſicut turgentes,ita educere mox lice bit tenues,peſtilẽtes,& alios deniq;,qui ad tur gẽtes plus accedũt,q̃ ad crudos. Sed quia ma gna ex parte non verè turgent humores, rarò hæc,& cum multa præmeditatione faciẽda,do cent Hippocrates & Gale. Celſus verò,nunq̃, præſente febre. Nos autem, nacti benigniora pharmaca,audacius id facimus.Nec repugnat Celſus, qui & ipſe cibos, potionéſq; imperat, quæ ſimul alant, & ventrem molliant.Non ta men id ſæpius faciendum permittit lib.3.c.4. ægri enim vires aluo ſępius deiecta cõuellunt. Tranſacta hac principij occaſione,poſſunt eti am alui ducendæ gratia,cibi & potiones,quas dicemus,exhiberi.Ad purgationem verò inte gram expectanda ſunt ſigna cõcoctionis.Non quidem perfectam concoctionem expectabis, qualis eſt in ſtatu. Nam facta iam erit à natu ra aliqualis materiæ expellendæ ſecretio,cùm ſecretum aliquid videbis in vrinis. Et quando apparebit vrina plus quàm antea euicta, eui ctam etiam aliqua ex parte indicabit intus ma teriam.Quam in morbis non diuturnis purga re magis licebit.Cauẽdum tamen,ne naturam ſudores vel vrinas mouentem,aut aliò vergen tem,purgatione reuoces:aut nimia agitatione,

futuram concoctionem impedias. In quartana porrò ante ſtatum non purgat Galenus. Nam quanto longior eſt morbus, tanto perfectior expectanda concoctio, cùm craſſi ſint, & tenaces ſucci. In ſtatu verò etiam ſæpius purgat, quia lõgum eſt eiuſmodi tempus in quartana. Ante perfecta igitur ſigna concoctionis licebit in alijs morbis purgare, cùm & natura ipſa, apparente ſola nubecula, aut coloratiore vrina, ſoleat facere criſim, vt in tertianis refert Aëtius libro quinto cap. vigeſimooctauo, & Galenus primo criſeõn, capite duodecimo, eo magis, quia perfectiſſima etiam celebrata concoctione, non ſemper apparet hypoſtaſis: maximè in ijs, qui tenui victu vtuntur, in æſtate, & laboribus, dicto loco 1. criſ. ca. duodecimo, & aphoriſmo decimoquarto libri primi. Hæc in augmento aliarum febrium, & in ſtatu quartanæ ſint dicta. In cæterarum verò ſtatu, quietem eligendam cenſet Hippocrates. Nam tunc ſuperfluam eſſe purgationem, ait Galenus, ſi omnia à principio ritè ſint acta, & vacuatum initio ſit. Tum, quia ipſa ſufficiet natura: tum, quia non eſt amplius moleſtanda, quæ ſatis fatigata eſt: præſertim in ſtatu vigentis & acuti morbi. Si verò materia redundat, & natura ſegnius agit, ſupplendus eſt eius medicamine defectus, vt libro quos oporteat purgare, & in commentario noſtri aphoriſmi, & duorum

præcedentium. Demum declinãte morbo purgabis tutò, ſi naturam videas nõ ſatis purgaſſe: & finito morbo reliquias educes, ne fiat recidiua. His rationibus addendus videtur alius caſus, in quo liceat initio purgare: quando eſt ſyncerus humor, cuius nulla eſt expectanda cõ coctio. Sed, ſi humor ſit tenuis, iam in ſuperioribus eſt comprehenſus: ſin craſſus, educendus in principio ideo non dicetur, quia prius extenuari & incídi debebit, & morbi coctio expectari. Totius rei ſumma in hoc ſita eſt, vt liceat initio cuiuſque morbi purgare eo pharmaco, cuius attractrix vis hepar non attingit. Nam primarum venarum cruditas eſt, quę pharmacum maximè deteſtatur. quæ ratio apud antiquos, qui generoſis vtebantur pharmacis, purgationes magis vetabat, quàm apud noſtros, benedictis, vt vocant, medicinis vtentes.

Contra aphoriſmum, vt omnis tollatur ambiguitas, quædam nunc obijcienda. Primò, quòd inepta ſit exceptio de turgentibus: cùm nec turgentes educere initio poſſis, oborta tũc cruditate. crudi enim vias obſtruendo impedient. Reſpondeo, cruditates, quæ per initia oboriuntur, non omnino idem eſſe, quod crudi propriè dicti, qui ob craſſitiem vias obſtruunt. Illæ enim per initia morborum, præſertim bilioſorum, in quibus humores turgẽt, non ita ſunt craſſæ. In alijs verò poſſet adeò

impedire cruditas,vt citius mala ſymptomata hominē interficiāt,quàm ſuccus aliquis pharmaco educatur. Vnde non immeritò apud antiquos validæ purgationes erant formidabiles. Sed hodie eas non formidant,propter medicinas benedictas:quaſi falſus propter illas ſit aphoriſmus. Illæ quidem, vt minus nocent, ita minus ſufficienter purgāt eos affectus, quī generoſis indigent pharmacis. Ratio enim aphoriſmi inuicta manet:vt quodcunque pharmacum propines, ſi craſſus obſtaculo ſit humor, aut pharmacum nihil eius attrahat, aut eo attrahente,& humore reſiſtente,mala ſymptomata oriantur.

Contra aphoriſmum,ſecundò, facere videtur Oribaſij locus in compendio:*Crudi exiſtentes humores, antequam generent morbos, cautè ſunt uacuandi: iam autem febrientes, nullomodo.* Quaſi in ſanis licear aliquando cruda purgare, in febrientibus nunquam. Nos verò,etiam in ſanis, crudorum purgationem vetabimus, ex ſententia noſtri aphoriſmi, & Galeni præcepto, libro quarto de ſanitate tuenda. Oribaſius enim, quem paſſim & perperam citari audies,cautè euacuādos ſuccos intelligit per miſſionem ſanguinis, nam ſcripſit hanc ſententiam capite de miſſione ſanguinis,quod eſt caput ſeptimum libri primi ad Euſtadium. Id ipſum docuit Galenus (à quo ille accepit) libro

de missione sanguinis. *Vbi crudi*, inquit, *succi exuperant, antequam morbus inuaserit, caute uacuabis: sed ubi febris corripuit, ut anteà monui, nullo modo.* Anteà autem monuerat, ob metum syncopis non esse venam secandam febricitantibus cum cruditate, & offensione oris ventriculi. idem tradidit libro duodecimo methodi. Indicatio enim à viribus hoc præsidium dissuadet. Quid verò sit cautè vacuare, idē exponit, modicā sanguinis detractionem repeti, & extenuantiū vsum intermisceri præcipiēs. Purgationē eo casu nos facilè cōcedimus nō admittendā in febricitante, cùm nec in sano eam admittat Galenus, ꝓpter mala symptomata, quæ sequuntur ex purgatione crudorum.

Demum vnus supersest scrupus, quo nullus in febribus videtur esse locus concocta medicandi. Nam teste Galeno libro secūdo de differentijs febriū, cap. quinto, decimotertio, & decimosexto, in febrium paroxysmis euacuatur, & discutitur quicquid putrefactum atque exustū fuerat. Vnde videtur nihil supersesse, quod pharmaco sit post accessiones educendum. Plures hac ratione videas confusos, qui nec intelligant quid purgandum, nec vnde prodeat materia illa copiosa, quam in crisibus natura cumulatim expellit. nam si in singulis accessionibus totum educitur, nihil ad crisim supererit. Intelligendum ergo primùm, materiam crudam,

uæ obſtruit, non tolli in paroxyſmis, ſed in certa parte conſiſtere, ibíq; concoqui toto morbi tempore vſque ad criſim, vt in commentario noſtri aphoriſmi. Præterea, obſtructionis, aut prauæ in certa parte diſpoſitionis occaſione, materiæ putreſcunt, paroxyſmum accendunt, & ebullitione quadam per corpus agitantur. Tales in acceſſionibus tolluntur, quæ acceſſionum continens cauſa fuere. Ita enim à putredine & vſtione funduntur & extenuantur, etiam craſſæ materiæ, vt inſtar pinguedinis inflammatæ, in fuliginem vel fumum digerantur, aut cum alijs excrementis pellantur. Sublata verò in totum hac coniuncta cauſa, non amplius ſubeſſe poterit putrida febris: tũncque ad perfectam integritatem deſinet paroxyſmus. Vbi verò in pituitoſis humoribus eſt putredo, etiam aliquid putrefacti excrementi in affecta parte ſupereſt, dicto capite decimoſexto, & in fine decimiſeptimi. Qua ratione in quotidianis febribus non eſt vera intermiſſio, quia pituita non perfectè exuritur. A quo putri excremento, vel à partis diſpoſitione, putrefactis iterum alijs eò fluentibus materijs, fit ſequens paroxyſmus, citius vel tardius, iuxta multitudinem, & velocitatem fluentium ad ſentinã humorum: longus quoque, vel breuis, iuxta humoris quantitatem, qualitatẽ, ęgri vires, & corporis diſpoſi-

tionem,libro ſecundo de differ.feb. cap.tertio. Iam,ſi natura ſuccos illos,qui malè cocti,& ſemiputres eò confluentes citius corrumpuntur, ritè gubernet,& ne eò cõfluant,euincat,& concoquat: ſimiliter, ſi obſtructionem faciens excrementum detergeat, vel crudum decoquat: ſublata erit ſequentium acceſſionum cauſa antecedens. Criſim autem ex antecedentibus materijs ad hunc modum celebrabit natura. Primò,ſanguis,qui per ſolertiam naturæ,quæ cõcoquendo putredinem arcet,à contagione ſeruari poterit, integer manebit. Secundò, ex reliqua antecedente materia iam putreſcente, natura per concoctionem,inſtar puris,efficiet purulentum quid,quod criſi pelletur. Tertiò,excremẽtum purum,ſyncerúmve humorem,quẽ concoctione ſecernet natura, tunc ipſa pellet, & nos attrahemus.& ſi quid putridum, aut eius fæx vel cinis,ſupererit:id ſine aliqua concoctione, vt in ſingulis acceſſionibus fecit, ita in vltima per criſim pellet. Triplex eſt hoc naturæ munus in criſi,circa alimentum purum,ſemiputre,& excrementa. Ante criſim verò, incipiente natura dominari, & materias in corpore partim euincere, dum ſimiles ſibi facere ſuccos contendit, ex ſemiputri materia, inſtar concoctionis tumorum,generat quid purulentum,non ita putrefactum, vt ea quæ paroxyſmos accendunt. Nam ea quæ putrefacta ſunt,

ab omni concoctionis ratione degenerarũt:hoc verò,naturæ ſolertia ab incendio eripitur.Huius coctionis ratione vrina incipit habere ſedimentum: quod aliud nihil eſt quàm purulenta fæx:licet non ita ſit particeps cauſę præter naturam, quemadmodum pus,vt ait Galenus in fine primi prædictionum,quę vera eſt differentia inter pus & hypoſtaſim.Eiuſmodi igitur ſemicrudũ,aut purulentum in corpore,per morbi maturationem in criſim repoſitum,nos vocamus bilioſum,pituitoſum,aut atrabilarium, pro ratione vincentis humoris. Ideóque,bilis, vel alterius humoris purgatorio pharmaco,talem fæcem ita coctam educim⁹. Eo magis,quia ex tota concoctione naturæ, multa bilis,velut concoctionis excrementum per bilioſos morbos ſecernitur. Vnde non ſolum purulentum illud,quod minus eſt:ſed multa bilis eo tempore iam ſecreta, pharmaco educitur. Ad obiectionem ergo dicimus, coniunctas cauſas cum ſingulis acceſſionibus perire:ex antecedentibus verò colligi,quod criſim faciat,& pharmaco educatur. Tempeſtiuum iam videtur ad ſyrupos venire,vt intellectis concoctionum, præparationũ, & purgationum ſcopis, quid illi præſtare poſſint,inquiramus.

De ſyruporum compoſitione,& vario vſu.

Sermo quintus.

Syrupos,ſiue ab ὀποῖς,ſuccis,& σύρω,traho,quaſi ſint ſucci extracti: ſiue, ꝙ à Syria ſint allati: ſiue ab eo,quod Galeno dicitur σίραιον,id eſt,ſapa, vel dulcis cũ melle decoctio:ſiue aliũde dictos quis velit:conſtat non à Græcis, ſed Arabibus eo nomine vſurpatos. Propriũ eorũ munus illi digeſtionem vocant, concoctionem eſſe falſò putãtes.Eſt verò propriè digeſtio,idẽ quod Græcis διαφόρησις καὶ ἀνάδοσις, id eſt, per halitum diſſipatio, & diſtributio. Differentiam inter concoctionem & digeſtionem,videas in lib.de inęquali intemperie,& quinto ſim.medi.cap.8.Digerũtur enim tumores,cùm materia contenta in ambientem diſcutitur:concoquuntur verò ad ſuppurationem.Dicimus etiam alimentum in ventriculo prius concoqui,deinde in corpus digeri,id eſt, diſtribui.Sed de nominibus plus ſatis. Scimus enim inauditum fuiſſe antiquis ſyruporũ nomen:eis tamen propomata,& dulces potiones in vſu fuiſſe : ſicut & præparatorias alias potiones, ad purgationes iuuandas. in quẽ vſum ſyrupos componunt Arabes. Neglecto igitur nomine, ſi rem ipſam, quatenus ad præpara-

tiones attinet, ad Galeni mentem expendamus (expedit enim primum ita facere, vt ille ſit huius cenſuræ regula) ſyruporum vſus erit, non concoquere, vel digerere, ſed extenuare & incidere. Adeò charus Galeno ſemper fuit extenuantium, & incidentium vſus, vt paſſim eorum meminerit, & proprium de eis librum conſcripſerit. Confert ad multa hic vſus: ex quibus nos tria, ad rem facientia, referemus. Primò, iuuandis cõcoctionibus, extenuantia, & incidentia præmittimus, vt in tertio ſermone iam eſt demõſtratum. imò eaipſa concoquũt, vt dicemus. Secundò, iuuandis purgationibus Galenus vbique præmittit extenuantia & incidentia: etiam quando turgent humores, aphoriſmo vigeſimoquarto libri primi, & libro quos oporteat purgare. Præparant enim corpus, reſerant meatus, obſtructiones detergent, humoris craſſitiem & lentorem tollunt, imò aliquid educunt, vt dicemus. Tertiò, etiam miſſio ſanguinis commodius hoc auxilio fit, vbi eſt crudorum copia, vt docet Galenus de curandi ratione per venæ ſectionẽ. Nam pauculo ſanguine detracto, melicratum exhibet probè coctum, cum incidentium medicaminum quopiam, vt hyſſopo, origano, calamintha, pulegio: aut certè cum melicrato dat oxymel, aut oxyglycy, id id eſt paſſum acetoſum, ex aceto & vino

dulci factum. Rursus, veluti præparato sangui ne, aliquid detrahit. nam crudum copiosè tra- here non est tutum: nec cõcoqui tamen potest, nisi extenuetur. Veri itaq; Galeni syrupi erunt oxymel & mulsa, cum incidentibus herbis: oxymel contra viscosos, mulsa contra crassos humores, libro tertio de ratione vic. in princi- pio. Expungendos hac ratione, quis dicet, Arabum syrupos, seu extractos succos. Nam succos ad eam rem non requirebat Galenus, quod Arabes faciunt: sed sufficiebant ei herbę ipsæ toto anno seruatæ, quæ fortius siccant, & calfaciunt, quàm recẽtes. Item, vera hęc ad pur gationes prępparatio, si Paulo credimus, potius fit certa victus ratione, quàm syruporum for- mulis. Etenim lib. 7. cap. 6. vbi præparationem tradit, qualis ad purgatiões esse debeat, solùm docet: certa prius victus ratione, extenuãte & incidente, alendum esse hominem, antequam purgetur. Nec secus Galenus apho. 9. lib. 2. & lib. de vic. extenuante. Corruere his rationibus videntur syruporum figmenta, velut inutilia. Sed nos, vt ad eorum defensionem descenda- mus, ad primum respõdebimus, Galenum, qui varijs in locis scribebat, & praxim exercebat, tanquam facile parabile, id siccarum herbarũ cum oxymelite vel mulsa decoctum, sæpe cõ- memorare. quod & nos laudamus, & syrupum vocamus: nam in eiusmodi decoctis, aliquid

ſucci ab herbis extrahitur. Quod autem & veris ſuccis herbarum, nõ Galenus modò, ſed & Aſclepiades, Archigenes, Antonius Muſa, Philagrius, & alij veteres, ex profeſſo ſint vſi: & ex eis dulces potiões, quas nos ſyrupos vocamꝰ, effecerint, mox oſtendemus. Quin etiam, ſiccas herbas, tanquam iuſto acriores, non ita cõmẽdabimus, vt ſuccos expreſſos, in quibus integra magis eſt herbarum virtus, quàm in illarum decocto. Quòd ſiqua ſit aquoſitas recentis herbæ, illa per ſucci decoctionem tolletur. Ad aliud quod ex Paulo affertur, non negabimus nos, ſyruporũ vſum ſub διαίτης nomine cõtineri, cũ princeps pars rationis victꝰ in morbis acutis, ſit Hippocrati & Galeno, oxymel, mulſa, vel ptiſana. In tota quoq; extenuãte diæta, quędam ſunt, quę ſub alimentorũ genere continentur, vt ptiſana, & mulſa: quædã ſunt medicamenta, vt oxymel, & alia, quæ in mulſa concoquere licet, vt hyſſopus, calamentum, &c. lib. 8. metho. ad quorum genus noſtri ſyrupi ſunt referendi. In ea itaq; preparatoria victus ratione, ſyruporum vſum commendare licebit, vel ex ipſo tempore exhibendi. nam aſſuefacimus naturam, ne inſueta hora pharmacum ægreferat. Præterea, medicamentoſa potione aliquid educere tentantes, maiori pharmaco viam paramus: & naturam ad deiectionẽ velut aſſuefacimus: vt in vomitu, vrinis, & alijs

omnibus vacuationibus,ex Galeno id faciendũ oſtendemus. Commendare etiam licet ſyrupos ob alterandi vim,& alias eorũ functiones. Non enim ad extenuãdum &incidendum ſolummodo cõfert ſyruporũ vſus:ſed ad alia multa,quę mox diſtinctè narrabo:ne quis cum Arabibus eos confundat, & omnes ſine iudicio vocet digeſtiuos. Sed præſtat eorum compoſitionem paucis anteà perſtringere.

Diſcrimen faciunt Arabes inter iulebos,ſyrupos, apozemata, robub, & looch. Iulebum ex ſaccaro,vel quouis ſyrupo cum aquarum quadruplo,clarificando efficies. Magis verò probatur ex ſaccaro cum florum infuſione. Roſæ enim,ſeu violæ, in feruẽtem aquam demerguntur,cauendo ne quid euaporet.deinde expreſſis illis & abiectis,aquam illam,quam infuſionem vocant,percolando & clarificando,leui cum ſaccaro ebullitione fit iuleb. Quo recenti vteris ad infrigidandũ,humectandum,& ſitim arcẽdam. Nec ſeruãtur iſti iulebi,niſi quis pro leui ebullitione,perfectam concoctionẽ adhibeat,cũ maiori ſaccari modo,inſtar ſyruporũ. Plus ideo probantur iulebi cũ dicta infuſione,q̃ cum aquis illis,ex toſtis & vſtis herbis deſtillando eductis: nam igneũ,neſcio quid,illæ redolent,& ab herbarũ viribus degenerant. niſi,vt docuit Manardus,in duplici vaſe fundãtur:ita,vt primo feruentẽ aquã continẽte,ſecundũ herbas continẽs

ſuſpendatur:nec aquã tangat,ſed feruidum va porem excipiens incaleſcat. Syrupos cõficiendi modus fuit ex decoctis & melle:ſed iam & ſuc cos,& aquas illas diſtillatas miſcẽt,& pro mel le ſaccarũ apponunt. Horum vſus varij ſunt,in ſequẽtibus explicandi. A pozema differt à ſyru po,in eo,quòd nõ ita perfectè coquitur,nec aſ ſeruatur. ſunt qui vocent ſyrupum longũ. verè tamen ἀπόζημα aliud nihil eſt,q̃ decoctum,cui ſaporis gratia addũtur dulcia condimenta, aut etiam medicamento ſæ vires. Robub ſunt ſucci ſine dulcedine inſpiſſati, ad ſolem vel ignem. Rob ſimpliciter dicitur ſapa, ſiue excoctũ mu ſtum:cũ adiectione verò,eſt idem quod robub: vt rob de ribes. Non ſunt in vſu eiuſmodi ro bub,quòd guſtum non delectẽt:niſi dulcia mi ſceas, quod à multis iam fit:vt in rob de nuci bus, quod eſt medicamentum Galeni. ſcopus horum eſt adſtringere. Looch non ita bibitur, ſed ore retentum lingitur: éſtq; Galeno vſita tum,dictum ἔκλειγμα, nobis linctus. Vſus eſt cum melle ad abſtergẽdum in tuſſi,& alijs tho racis affectibus. Parantur communiter, looch ſanum & expertum,looch de pino,de ſcilla,de papauere,ex deſcriptione Meſue. Modum con ficiendi looch de pino docent Hippocrates & Galenus lib. 4. de rat. vict. acut. comment. 70. & 79. & looch de ſcilla comment. vltimo,& a lios lib. 7. de compoſit. medic. ſecundum locos.

Sed ad ſyrupos reuertor. Componunt eos cõmuniter, acceptis ferè tot manipulis herbarũ, vncijs radicum ſeminũ, vel florum, quot ſunt libræ aquæ. Ad ſubduplum fit decoctio. radices tamẽ plus licet incoquere, flores multo minus. ſuccos etiã, quando ex eis ſunt facturi ſyrupos, ſolos prius decoquunt. Id quod ſuper eſt aquarum, vel ſuccorum decoctum, percolatur, & cũ albumine oui clarificatur: deinde miſcetur cum mellis deſpumati, vel ſaccari pari pondere, aliquando minore vel maiore, iuxta liquorum amaritudinem, & patientis variũ guſtum. Id totum leui ebullitione mixtum, iterũ percolatur, & demum perfectè coctum vſq; ad lentorem & manus inquinationẽ, fit ſyrupus. ſi parum decoquatur, dicetur ſolum apozema. Aromatizant inſuper, & tenuiſſimos pulueres inijciunt, duarum drachmarum pondus pro totius libra. Doſis eſt ſeſquuncia, vel vnciæ duæ cum aquarum duplo vel triplo: vt totius quantitas ſit ferè vnciæ ſex. tantundem apozematis ſine aquis propinant. Quæ ipſa magis commendo, quàm ſyrupos: in quibus exhauſta eſt herbarum virtus ob vetuſtatem, & nimiam decoctionem. verùm deficientibus herbis hyeme, cùm non liceat apozemata facere, cogimur ſyrupos in totum annum reponere.

Componendi modus iſte non abhorret à mente Galeni, qui lib. 6. de compo. med. ſecũ-

dum locos,ex ſuccis nucum, mororum, malorum granatorum,& cotoneorum, varia medicamenta cum melle componit.Quæ licet inter looch vel robub potius , quàm inter ſyrupos ſint numeranda:tamen ex ratione compoſitionis etiam hos elicias. Ait enim in principio libri:*Quia ſucci hi,niſi concoquantur, cito corrumpuntur, etiamſi cum melle crudos reponas: ideo à medicamentorum compoſitoribus excogitatum eſt, ut cum melle ſucci concoquantur,& ita reponantur,ut toto anno ſint uſui:non ſolū eo tempore quo ſucci exprimuntur.* Vtilitatem aliam huius compoſitionis addit Galenus:quia non ſolū ad conſeruationem facit mel, ſed & ſua facultate iuuat:quæ in ſyrupis etiam abſtergēdo,& aluum ducendo iuuabit, & ſua dulcedine naturam alliciet.Alibi etiam ſæpe à Galeno fiunt compoſitiones ex ſuccis & melle,tam in lib.de comp. medic.ſecundum locos, quàm in paratu facilibus. Vtinam extaret Galeni liber de compoſi. medic.purgantium,cuius meminit in prin.lib. de comp.medic.ſec.loc.Nam licet non ſyrupi, alia tamen eis ſimilia, vt propomata,& dulces potiones antiquis nominabantur. Vnde apud Paulum lib.7. eſt integrum caput de dulcibus, vtilibuſq; potionibus, & propomatis. Προπόματα verò præpotiones dixeris.Ad quæ genera,iuleborū & ſyruporum compoſitiones ſunt referendæ.vt Pauli hydroroſatum,verè ſit ſy-

rupus roſaceus: nec eius ſecundũ hydromeſon aliud eſt,q̃ ſyrupus de citonijs:nec rhoetis compoſitio,aliud q̃ ſyrupus de malis granatis. Eiꝰ inſuper omphacomeli, eſt ſyrupus de agreſta: Myrtites,ſyrupus de granis myrti. Similes ferè in Dioſcoridis libro quinto potiones inuenias. Oribaſius quoque libro quarto ad Euſtadium ſcripſit caput integrum de potionibus quæ in febribus conferunt.& eſt caput 39.vbi dulcium,refrigerantium,incidentium,& aſtringentium meminit potionum:ex melle,aqua,aceto,& ſuccis fructuum. Apud Aëtium quoq; proprium legimus caput,De dulcibus,conſuetíſque in febre potionibus,ex Philagrio. Vnde magis probabitur noſter in febribꝰ ſyruporũ, & præpotionum vſus. Verba Philagri ſic habent:*Dulcis potio duplicem utilitatem affert. Primò,quòd natura iucunditatis gratia eam libenter amplectitur, ac inde refocillata, & ueluti reuiuiſcens,actiones ſuas languidas,& à morbi feritate defatigatas, excitat. Secundò, quòd ægritudini ea potio duobus modis reſiſtat, uim illius contrarijs qualitatibus opprimendo,& animalis uirtutes ſuſcitando,ut morbi impetum, uiolentiámq; facilè ferat.* Commendandi igitur ſyrupi noſtri, quòd dulcium potionum vtilitates amplectãtur. Scopi vtẽdi duo à Philagrio ſunt præſcripti,virtutis refocillatio, & alteratio morbi. Quæ ambo præſtant noſtri ſyrupi. Præſtant & ea,quę Ga-

leni extenuantia & incidentia : & alia plura. vt aluum ducentia, adſtringentia, concoquẽtia, & diuretica præſidia, in dulces potiones, ſyrupi nomine, variè cogamus. Quos vſus improbare nullus poterit, cùm à Galeno materiæ copiam deſumamus : & ob dictas ab ipſo, & Philagro commoditates, mellis aut ſaccari dulcedinem addamus. Nempe, ob conſeruationem medicamenti, ob guſtus ſuauitatem, naturæ recreationem, ob proprias mellis & ſaccari facultates. Supereſt tantum, vt particulares vſus in claſſes digeramus, & ſingulis ſpeciebus febrium accommodemus.

Eſto igitur primus ſyruporũ vſus, cõcoquere. primũ voco, quia inde nomẽ digeſtiuis ſyrupis inditũ, licet nihil minus, q̃ cõcoquerẽt. Secũdus vſus, alterare morbũ contraria qualitate. Tertius, extenuare & incidere. Quartus erit vſus, diureticorũ. Quintus, aluũ ducentiũ. Sextus, eã ſiſtentiũ. Septimus cõfortãtiũ, ſeu roborantiũ. Primò, ad cõcoctionem iuuandam parari poſſunt ſyrupi, vt ex ſucco cotoneorũ cũ pipere, ex mẽta, ex corticib⁹ citri: addendo coriandrũ, crocũ, nardũ, cinnamomũ, & alia odorata, de q̃bus lib. 8. de cõ. med. ſec. loc. Nõ tamẽ ſyrupis ad eã rẽ eſt op⁹, niſi pars ſit affecta: ſed ſomno, quiete, frictiõib⁹, lauacris, cibis & potionib⁹ modicè calidis. Si quis verò ex potionibus modicè calidis cõficere volet ſyrupos, nõ ſolũ alimẽ

tis,ſed & pharmacis vti poterit. Vnde Celſus, Antiquos,ait,medicamentis quibuſdam datis, concoctionem moliri ſolitos,eò quòd cruditatem maximè horrerent.Nec damnandi ſunt ſyrupi,quaſi dicta præſidia ad iuuandam concoctionem ſufficiant.Nam ſi in certa parte ſit diſpoſitio cruda, erunt ad id medicamenta optima: vt apparet in arteriace diacodion Andromachi,libro 7.de compoſit. medica. ſecundum locos.Inſuper omnium frigidorum affectuum non exiguam vim concoctricem in nardo eſſe ait Galenus libro de eiſdem nono, vbi de colicis agit. Triplici enim ratione concoctionem iuuat nardus. Primò,extenuat: ſecundò, calorem auget:tertiò,adſtringit.Extenuatio enim, vt dixi,concoctioni viam parat. Caliditas concoctionem efficit:adſtrictio vim confirmat. Talia itaq; medicamenta,ad partium affectus concoquendos,in ſyrupos coacta,facilius penetrabunt, & à natura ſuauius attrahentur. Porrò, in febribus, niſi longæ ſint, rarò vtimur eiuſmodi medicamentis ad concoctionem iuuandam.In acutis nanque,alia magis vrgent:vt victum extenuare, & cauſam tollere nitamur, à qua eſt cõcoctio impedita. Si quãdo tamen ſit concoctio iuuanda, poſt extenuantia præſidia id moliemur, vt ſuperius diximus, & inferius exemplis oſtendemus. Victus tamen ratio debet eſſe concoctu facilis,boni ſucci,& humida.

In omni enim febri, ciborum concoctioni prospicere magnopere oportet, vt ait Galenus libro vndecimo methodi medendi.

Secundum vsum, qui in alterando consistit, solum videntur attendisse Arabum familiæ. Nam sua digestiua semper ita aptarunt, vt contraria esset eorũ qualitas qualitati humoris vitiosi. Nos autem, ob alterandi vsum, solos eos syrupos commendabimus, qui biliosis adhibẽtur febribus. nec id perpetuó. Non enim conueniunt in crassiore & obstruente bile: sed incidentibus magis, quàm alterantibus frigidis, est opus: aut his, quæ vtrunque simul efficiant, cuiusmodi est acetum cum iuleb violarum. In morbis alijs biliosis, maximè in tertiana exquisita, tenuis extra vasa humor facillimè educitur, siue per cutem, siue per communes canales, dicente Galeno libro secundo crisẽn: *In tertianis bilem uehementer moueri, & per singulas corporis partes disseminari, atque delationis impetu per seipsam expurgari.* Hinc fit, vt indicatio euacuandi non reddat nos adeo solicitos, sicut indicatio alterandi per infrigidantia & humectantia, vt febrilis æstus, & bilis acrimonia extinguantur. In causone etiam, alteratio, magis quàm purgatio, exigitur: nisi (vt ait Hippocrates) in valde acutis materia ita turgeat, vt medicari eodem die cogaris: quando materia effrenior est, quàm vt syrupis reprimatur. Est

& aliud in cauſone generoſum remedium, frigida copioſa in febris æſtu, poſt ſigna concoctionis. In tertianis balneum magis congruit: quia materia eſt extra vaſa,& ad cutim vergit, per quam facilius quàm in cauſone pellitur. Vtriſque communis eſt ſyruporum infrigidantium & humectantium vſus. Nec admodum vereor, ad eos ſequi cõcoctionis difficultatem. Nam tutius eſt febrem remiſſam, in tempus proferri,quàm ex vſtione maraſmum,vel mortem incurrere. eò magis, quia poſſumus alterantibus,magis humidis,minus frigidis vti:vt dulci radice,atriplice,lactuca:quæ non adeo cõ coctionem impediunt,vt magis frigida. At dices,ab illis ſyrupis,exigua quantitate ſumptis, exagitari potius calorem,quàm extingui:ſicut, ſi frigidam modicam propines, flammam augebis, & aqua in bilem vertetur. Hac ratione reijciunt quidam hos ſyrupos,quaſi ad alteran dum ſufficiat frigidæ potus. Quibus ego reſpõ ſum velim, de aqua illos vera dicere, quoniam eã in ſummo acceſſionis feruore propinamus, ad ſolam flammæ extinctionem. In ſyrupis,ſicut & in reliqua victus ratione humida, aliud ſpectamus: nempe,humido nutrimento alere: frigidiorem ſanguinem,ne bileſcat,gignere:caliditati & ſiccitati, quæ in ſolidas partes ſe inſinuat,occurrere,& ſolidas ipſas roborare. Ad quas res inepta eſt aqua, quæ nec ſolidas par-

tes verè humectet,aphorismo decimotertio libri quarti. Adde,non esse ita tutum, syrupi,vt aquæ,copiosam dare potionem, vt de oxymelite refert Galenus primo de ratione victus,cõ mẽtario 43.& lib.3.cõ.28.Nam aqua cito alteratur:syrupi verò crassiores diutius retinent tẽ peramentum,nec ita facilè in bilem vertuntur. Ideo hi extra paroxysmum lentè,aqua in paroxysmo repẽtè agit:hi modica quãtitate,aquã copiosa:hi ante signa cõcoctiõis quoq; dãtur, aqua post concoctionem. Aliquando etiam in ratione victus dat Hippocrates paululum aquę inter mulsæ & oxymelitis vsum, lib.3. de rat. vict. com.39. præferuntur tamen ei syrupi, vt apparet lib.4. com. 5. Malè igitur rem intelligunt,qui ob aquæ potũ,frigidos syrupos damnant.Quin potius affirmãt non inexperti medici frigidos syrupos etiam purgationi præmit tẽdos,tum quia imbecillam virtutem roborãt, tum quia humoris educẽdi acrimoniam obtundunt,ne in transitu vicinas partes igneo calore lædat.Videbis enim aliquando ægros quasi cõburi,si humorem acrem educas non prius refrigeratũ.Nec eiusmodi offensam ignorarũt Hippocrates & Galenus lib.3.de rat.vict.com.13. & 14.& lib.quarto,cõ.109.ad purgationem tamen iuuandã nunquã frigidis vtuntur. In hac itaq; re iudicio opus est,nec sunt frigida penitus cõtemnẽda,nec temerè semper admittẽda,

reclamãte Galeno,qui etiam in acutis & bilio-
ſis morbis,nõ frigidas potiones, ſed extenuã-
tes & incidentes ante purgationem imperat,
apho.24.libri primi,& lib.quos oportet purg.
His ſolis corpus ille præparare ſolet,vt dictis
locis,& lib.de morbo comitiali apho.9. libr.2.
& lib.11.methodi. Imò cũ medicamento ipſo
dat ſimul extenuãtia,dicto lib.quos opor.pur-
ga.per ſe enim frigida qualitas purgatiõis mo-
tum impedit,non adiuuat.ſed indicatio à viri-
bus ſumpta, vt eis proſpiciamus ſuadet: indi-
catio prouidentiæ,quæ à cauſis ſumitur,vt fu-
tura incommoda præcaueamus.Cum igitur fa
cultatis imbecillitatem,& humoris acrimoniã
vereberis,ſyrupis frigidis iuxta prædictas in-
dicationes vteris. ſicut contrà, extenuantes &
& incidentes cum Hippocrate & Galeno per-
petuò imperabis,vbi corpora fluida facere co-
gitabis.Nec ineptè mea ſententia,vtroq; præ-
ſidio quis vtatur, humidam victus rationẽ &
frigidos ſyrupos,ſi febrilis calor vrgeat, prius
adhibens: inſtante verò purgatione,melicratũ
cum extenuantibus herbis : vt iuxta veterum
placita,extenuantia & incidentia purgationem
continenter præcedãt.At dices,ſi humores ſa-
tis ſint tenues,non indigebunt extenuantibus.
Id quidem ego fateor:ſed extenuantia cõtem-
ni non eſſe tutum affirmo, maximè ſi frigidis
antea ſis vſus ſyrupis.Itẽ an reſerati ſint mea-

tus,necne,non ſatis conſtat.præſtat igitur extenuantibus & incidentibus vti, præſertim ſi pharmacum ſit generoſum, ab hepate & alijs remotis partibus attrahens. horū enim ratione maximæ curæ fuit antiquis meatuum reſeratio, ſicut primarum venarum cruditas maximè horrenda.Noſtris verò medicis,quorum pharmaca vix hepar attingunt, ſed ex ventre materias educunt,nec cruditas eſt ita formidabilis,nec ita frequens extenuantium vſus. Vides vtriuſq; partis rationes non improbādas, liceréque aliquando vti frigidis, aliquando extenuātibus,aliquando vtriſq;.Iudicium in hoc erit medici,ſi pharmaci vires, educendi humoris qualitatem,& per quos meatus eductio fieri debeat,diligenter attenderit. Ad hunc modū his præſidijs vtendum ego ſemper iudicaui,vt veterum placita ſeruātes, frigidos ſyrupos nō reijciamus. Hanc meam ſententiam,cum ſubinde rogaretur, non improbauit imcomparabilis ille ſanioris medicinæ præceptor Iacobus Syluius,vir acri iudicio præditus,& in enarrādo Galeno diſertiſſimus.Sed aliquis forſan nobis obijciet Galenum,cui in methodo curationis vltimum eſt febris : ergo omnium vltima debet eſſe refrigeratio. Reſpondeo, Galenum in generali methodo, poſt ſigna concoctionis, frigidæ potu vti,ad caloris extinctionē. Item, poſt humorum vacuationem curare id febrilis

caloris,quod inſtar hecticæ in ſolidis partibus eſt relictum:fieríque id balneo,frigidę potu,& alijs refrigerantibus.Indicatio verò,quę nobis frigidorum ſyruporum vſum & victus rationem humidam anteà ſuadet, aliunde ſumpta eſt,vt iam dixi.quin &Galenus ipſe frigidis & & humidis etiam initio tertianam alterat: & primo de ra.vic.com.43.frigidũ oxymeli ante morbi concoctionem dari iubet, & panem ex aqua primo ad Glaucon.ptiſana etiam frigida eſt,& frigida putredini obſunt, lib.11.metho.

Tertius incidentium & attenuantium ſyrupporum vſus in prædictis eſt iam comprehenſus.Supereſt tantum oſtendere,ſyruporũ formulas ad eã rem apud antiquos inueniri.Nam lib.8.de cõ.me.ſec.loc. ex ſuccis cichorij, anethi,iridis,& aliarũ herbarũ,ſyrupos ad varios hepatis affectus cõpoſuerũt, Antonius Muſa, & alij priſci medici, quos Gale.ibi cõmendat. Libro etiã 9.ab Archigene cõponitur chelidonię ſuccus cũ mulſa,ad auriginẽ ex obſtructione hepatis:quę vera eſt ſyrupi cõpoſitio.Ibidẽ ex Aſclepiade reponuntur cynogloſſæ & chamędryos ſucci,ad lienoſos.Huius generis ſunt ſyrupi,qui per ſputa repurgãt,de quib⁹ lib.13 metho.quales ſunt,mediocres, ſyrupi de iuiubis,& de glycyrrhiza:Galeno ptiſanæ cremor & mulſa:quæ detergentia potius dixeris.Efficaciores verò ſunt ſyrupi de hyſſopo & mar-

rubio:Galeno,vrticæ ſemen & mulſa,in quam coniectum ſit aliquid acrium herbarum,quales enumerat origanum,hyſſopum,calamintham, pulegium, radicem ireos Illyricæ:aut oxymeli ex marrubio,quod verè ſyrupus dicetur. Alios ad thoracem,pulmonem,iecur,lienem,& renes expurgandos, ex Galeno colliges lib. 5. ſimpl. med.c.11.& 12.

Quartus vſus, diureticorũ,id eſt vrinas mouentiũ,eſt Galeno ita familiaris,vt in febribus tertianis,quotidianis,& quartanis, eis ſemper vtatur,& in viſcerũ obſtructiõib⁹ cõmẽdet,lib. 1.ad Glau . Nec eſt difficile ex copioſa vrinas mouẽtiũ materia,dulces potiones efficere,quẽadmodũ ex oxymelite:quod vreticũ facies,adiectis radicib⁹ fœniculi,vel apij.In ſolo enĩ eo vretica ab incidẽtibus & extenuãtib⁹ differũt, q̃ ſunt efficaciora,acriora,calidiora,& ſicciora. Quo tẽpore his,& alijs õnib⁹ ſit vtẽdum,mox recẽſebo.Ad mẽſes etiã ꝓuocandos, ſyrupos cõficies ex nepeta,pulegio,ſauina,dictamo,iride.&c.li.de cur.pvenę ſe.&li.5.ſim.med.c.21.

Quintus aluũ ducẽtiũ vſus,ſi Celſo credim⁹, omnibus pharmacis in febribus eſt prępondendus.*Expedire*,inquit, *cibos, potionéſq; cõponere, qui ſimul alant,& uentrẽ molliãt*.Nã alia purgãtia pharmaca ſemp ipſe in febribus dãnat,lib. 2.c.12. Et Damaſce.in apho.optimũ putat, ſi ex medicina temperata cibum facere poſſis.

Sanè, quando in principio aluus ducenda eſt, tutius eſt vti eiuſmodi dulcibus potionibus, quas ad aluum ducendam nos in ſingulis febri bus recẽſebimus, quàm alijs ſibi inimicis phar macis, iam laceſſitam à febre naturam diripe re. quod etiam notauit Aëtius libro tertio cap. quinquageſimoſeptimo: nec diſſidet Galenus apho. 24. lib. 1. vbi ratiõe febris omnia eiuſmo di pharmaca, tanq̃ noxia reformidat. Febrẽ in telligo cõtinuã: nam vbi eſt quies, nõ eſt febris: licétq; tunc pharmacũ dare. Tantũ abeſt, vt illis aſſentiar, qui ſublatis in totum ſyrupis purga tiones cõmendant: vt ego potius ſublatis ſuis purgationibus, ſolis vterer dulcib⁹ potionib⁹. Galenũ equidẽ, in intermittẽtibus purgare le gi: in cõtinuis formidare eũ deprehẽdi, eò ma gis, quia, ſi Tralliano credimus, craſſior in con tinuis, quàm in intermittentibus eſt materia: ideo purgatio difficilior. Si medicinas benedi ctas, tanq̃ nõ formidãdas obijcias: ego eas ipſas laudabo, & in meas dulces potiones vertã. Nã eo modo quo vulgo propinãtur, exoſæ ægris ſũt: nec natura eas ita ſuauiter amplectit, vt ea cõmoda pręſtẽt, quę à dulcibus potionib⁹ p̃ſta ri cõmemorauimus. Itẽ alia ratione, ꝓpomata hæc, ſeu dulces potiones, crediderim ego non parui faciẽdas. Nã ſi maius ſequuturũ eſt phar macũ, nõ parũ cõfert, ꝓiculũ feciſſe, an æger ſit aluo cõtumaci, necne. Itẽ ad deijciendũ eadem

hora prouocaſſe confert, & quodammodo naturam aſſuefeciſſe. Aſſuefieri enim ad deiectiones poſſunt nutrimenti inſtrumenta, ſexto de ſanita. tuenda. Huius claſſis, & duarum præcedentium, communes ſunt potiones illæ, generaliter vacuãtes per aluum, ſudores, & vrinas: vt ptiſana, mulſa, oxymeli, apomeli, & apij decoctum: quibus Galenus contra febrium putredinem vtitur, ad detergendum, extenuandũ, & vacuandum. lib. 8. & 11. methodi.

Sextus & ſeptimus adſtringendi & roborãdi vſus, non admodum videtur indigere ſyrupis: nec dulcium munus eſt adſtringere, etiamſi ſyrupos ad eam rem compoſitos inuenias: vt de miua ſeu ſucco cotoneorũ, de abſynthio, de menta, &c. Quia enim dulcium guſtu delectatur natura, cum adſtringentibus dulcia miſcemus, vt dulcibus refocilletur, & adſtringentibus roboretur. Quin & Galenus libro. 8 metho. cotoneorum ſuccum, aut etiam pirorum vel myrtorum decoctum, iucundiratis gratia præparat, ad ventris fluxum reprimendũ. Addi octauo poteſt ad ſomnum inducendum ſyrupus de papauere cum aqua violarum. Item ad vomitum, vt mox dicemus.

¶His ordinatis claſſibus, nõ erit abs re, ad ſingula febrium genera ſyrupos aliquot adducere, & ſine ſyrupis alia ex Galeno remedia, vt methodo certa quiſq; vti poſſit: & quis in vſu

ſeruandus ſit ordo, plenius intelligat. Cum autem Galeno, cui ſanguis nõ putreſcit, tria ſint in vniuerſum genera febrium, ſi de bilioſis, pituitoſis, & atrabilarijs dixerimus, omnia dixiſſe putabimur.

Primò, in tertiana exquiſita, quia bilioſus humor facilè educitur, præparationibus ad id non egens, alterantes potius exigentur ſyrupi. Nam ex Galeni præcepto, refrigerare hanc febrẽ oportet, & humectare: cùm indicatio alterãdi magis vrgeat, q̃ euacuãdi. Præmiſſo igit̃, ſi opus eſt, leui pharmaco, aut molli ſine ſale clyſtere, ſyrupi alterantes ſunto. A qua ſimplex cum ſucco granatorum, & ſaccari modico: oxyzaccara, aqua hordei cum ſucco alicuius mali medici, aqua acetoſæ cum ſaccaro. Iuleb violatum aut roſatum, cum aqua frigida in æſtate. Syrupus acetoſus ſimplex, ſyrupus de ſucco cucurbitæ, de portulaca, cum ſaccaro albo, non cum rubeo vel melle, quæ calidiora ſunt. Denique decocta & ſucci herbarum frigidarũ. Quatuor ſemina maiora frigida, cucumeris, cucurbitæ, citrulli, & melonis. Quatuor minora, portulacæ, endiuiæ, ſcariolæ, lactucæ: & acidi omnes fructus. Simul alterantia, & aluum ducentia, ſerum lactis, ſuccus roſarum, violæ, pruna, tamarindi, infuſi vel decocti: ſuccus granatorum, ſuccus ex decocta cucurbita expreſſus, cum ſaccaro. Sed & ſyrupos diureticos, ex ane

thi,& apij decocto,probat Galenus in tertiana, quo tẽpore abeſt febris,& cõcoctio iam cœpit. ait enim: *Vrina uerò, potionibus,in quibus opium & anethum maduerint,prouocanda.* 1. ad Glauco. Quinetiam in intermittentibus omnibus, & rigoribus, conferunt ſudores prouocantia, duabus horis ante acceſſionem:vt calamẽti decoctum cum caſtorei ſcrupulo,Aëtius ex Dioſcoride. Apij ſeminis, vel ariſtolochiæ obolus cum vino: aut capilli Veneris decoctum, iniecto modico anethi: ídque maximè, ſi mox cutem illinas oleo amygdalarum dulcium, vel alio modicè calido, & tepidis pãnis molliter frices. Si tenaciter hæreat bilis,vel non ſit exquiſita tertiana,incidentia addes, cum liquore aliquo humectante:qui & ipſe educendos à ſiccis corporis partibus humores iuuabit, alterabit, & corpus fluidum reddet. Huiuſmodi eſt iuleb violatum,addito contra pituitæ mixturam melle, illóque potius roſato colato. Vteris & Galeni oxymelite, quod ipſum eſt ſyrupus acetoſus cum melle:lupulo quoque & ſpica:ſyrupo de calamẽto cum iuleb roſato,ſyrupo de bizantijs cum aceto, ſyrupo acetoſo de radicibus. Deinceps quiete, & fotu præcordiorum calido, iuuat Galenus concoctionem: ad quam etiam conferunt ptiſanæ ſuccus cum pipere,vinum hyſſopite & aromatite Dioſcoridis,& ſyrupus de menta.

In Quotidiana,incidẽtium eſt maior vſus,& maximus in epiala ex vitrea pituita. Ad quam, (poſt ſalſum clyſterem,aut aliud pharmacum) ex oxymelitis vncijs duabus,cum decocti hyſſopi vncijs tribus vel quatuor, Galenicum feceris ſyrupum:& efficaciorem,ſi ſit oxymel cõ poſitum:efficaciſſimũ,ſi ſit ſcillinum,aut looch de ſcilla.Syrupus etiam de praſſio,ſeu marrubio, contra lentam pituitam eſt efficax. Communia remedia ſunt,pulegium,calamẽtum,ruta, & ex eis ſyrupi: & de quinq; radicibus,fœniculi, apij, petroſelini,aſparagi,& ruſci. Alia quoq; vrinas mouentia.Qui ſimul incidunt,& aluum ducunt,ſunt mel roſatũ,ſyrupi ſtœchados,hyſſopi,ſcillę,cyclamini,ſeu panis porcini. Decocta braſſicæ,vrticæ,& galli decrepiti.Con coctionem etiam hîc, vt in tertiana notha, licet iuuare.

In Quartana verò, atram bilem molliter initio tractare iubet Galenus.Ideo,poſt leue pharmacum, nos humidis alterabimus,pomis dulcibus, vuis, vino albo dulci, aqua borraginis ſeu bugloſſæ, iuleb & ſyrupo violato, ſyrupo de pomis: aliiſque humidis,modicè calidis,vel frigidis, iuxta varia vſtæ bilis genera. Talia enim demulcent, exiccatam fæcem alterant,& ſuauiter præparant. Deinceps, ſalſamentis,& ſinapi, & medicamento ex tribus piperibus,& dioſpolitico incidemus. Lienis obſtructiones

tollemus,ſyrupis,de capparibus, tamarice,ſco lopēdrio,ſcilla,aſpleno ſiue ceterac,libro quin to ſimplicium medicamentorum,capite vnde cimo.Deinde ex ordine Galeni concoctio adiu uanda,frictionibus,balneis,& modicis inambu lationibus.quin & detergentia ipſa & inciden tia concoctionē adiuuant,libro ſexto de ſanita te tuenda. Vrinas quoq; prouocabimus, deco quentes rutam & anethum in mulſa:quæ vera eſt ſyrupi compoſitio.Syrupi deinceps propi nari poterunt, qui ſimul extenuent, & aluum deijciant: vt de epithymo,polypodio,fumaria herba: vel herbæ ipſæ cū aqua lactis,fumariæ herbæ,vel lupulorū.Hæc methodus eſt vtendi ſyrupis,& febres curandi:à qua nō diſſidet or do Galeni in curatione continentium,libro vn decimo methodi. Nam diminuta per ſangui nis miſ.multitudine, obſtructiōes tollit per ea quæ detergent,extenuant,& incidunt ſine ma nifeſto calore.eiſdem præſidijs putredinem va cuat,per ſudores,vrinas,&aluum.poſtea conco ctionem iuuat,& frigidam propinat.Illud ad uerte,in quo paſſim erratur:nā incidere aceto in quartana non licet, nec oxymelite vti, nec acetoſis ſyrupis : cuius oppoſitum docuerunt Arabes.Quin & Galenus lieni conducere ace tum ait, libro nono de compoſitione medica mentorum ſecūdum locos, libro vndecimo,& decimoquarto method. & quinto ſimplicium

medicamentorum. Ibi enim, quia obſtruentem incidit & extenuat craſſitiem, ratione viſceris conuenit: cui fermentatio non eſt moleſta. Illis verò, quibus toto corpore atrabilarius redundat ſuccus, aut qui temperaturam ſortiti ſunt melancholicam, aduerſiſſimum ait acetum, lib. primo ſimplicium medicamẽtorũ, cap. trigeſimoprimo. Facit enim fermentationem, & melancholiam attollit, atq; multiplicat, vt ait Hippocrates libro tertio de rat. vic. & ibi Galenus iterum ait, eſſe acetum melancholicis aduerſiſſimũ: maximè mulieribus, quibus accedet vteri læſio. Hac ratione Galenus in quartanis nullatenus iuſſit incidere aceto, ſed ſaliamentis, ſinapi, & pipere: cùm tamen in curatione præcedenti & ſequenti, oxymelitis vſum commendauerit, in pituita & bile incidendis. alioqui enim eodem potuiſſet & atram bilem incidere. Si quis igitur in atrabilarijs febribus, ſyrupo de bizantijs vtatur, tollat aut minuat acetum. Syrupos hos omnes calfactos propinabis, niſi hora magni æſtus vel ſitis in febri. tũc enim cum aqua frigida licebit propinare iulebos. In æſtate etiam oxymeli frigidum, hyeme calidũ, propinat Hippocrates libro primo de ratione victus acut. commentario 43. Tepidos non propinabis: nam tepida vẽtriculi robur diſſoluũt, libro ſeptimo methodi. Qua ratione, vomitum prouocaturi tepidis vtimur. Sed ad eã rem nõ

ſunt neceſſariæ ſyruporum formulæ: etiãſi ſyrupus acetoſus, oxymel, & hydromel, vomitũ prouocent, maximè cum radicula. alijs etiã rationibus licet ſyrupis tepidis vti, lib. 3. de rat. victus, cõmen. 28. & lib. 7. metho. Aliud quoq; notabis: vſum adſtringentium, & ventriculum roborantium ſyruporum, poſt vacuationem conuenire: niſi ſymptoma cogat nos ventriculo prius ſubuenire. Docet hæc omnia Galenus primo ad Glauconem. Nam ante vacuationem adſtringẽtia ſumpta, prauos ſuccos magis infigunt. Hinc in quotidiana iuxta ſtatum os ventriculi roborat Galenus. Nec ſecus in tertiana circa affectum iecur efficies. licet, vbi eſt proprius affectus horum viſcerum, veluti phlegmone, adſtringentia quouis tempore, magis quàm in ſola febre delyderent, ne eorum virtus exoluatur. In principio tamen febris, poteris aliquomodo calidis fouere. Lien non omni tempore adſtringentia æque poſcit, ſed poſt vacuationem magis. vnde initio quartanæ iubet eum Galen⁹ mollire & laxare. Aliud, quod hinc ſequitur, non omittendum: nempe incidẽtium vſum, præſertim in diuturnis febribus, non ſtatim ab initio cõpetere: ſed potius quietem & relaxationem quandam, vt deinde incidentia melius penetrent, & relaxatam materiam elidant. Hoc ſentit Galenus, in quotidiana, incidentia poſt primos dies imperans, vt in

quartana factum fuerat, & in notha tertiana. Alia ratione id cõfirmatur: nam in morbis incidimus prauos humores, vt vacuemus: quinimò incidentia ipſa vrinas cient, per aluum & ſudores euacuant:vt,ex quadam naturæ ſeque la,iam inciſa & tenuata materia, velut præparata pellatur. Vnde ſolis incidentibus, & leui alui ductione,ſeu vomitione,multas febres nothas cum Galeno ſanabis. Cum itaque incidamus, vt ſequatur eductio, hæc verò in materia craſſa non commodè initio ſequatur:meritò non mox extenuabimus,ſed relaxantia cum quiete præmittemus,quę extenuantibus viam parent,ſicut extenuantia ipſa concoquentibus. Quin & ardentes febres benignè & placidè initio tractandas ex Philumeni authoritate tradit Aëtius. Galenus verò turgentium purgationi præmittit initio extenuantia,aphoriſmo vigeſimoquarto, libri primi. Ad quod dici poteſt, extenuantia non ſolos humores,ſed & ſubſtantiam noſtram extenuare, & colliquare actione violenta. quod fieri initio non conuenit, ne ab irruente morbo naturam afflictam magis affligamus, & vires deijciamus, in tempus iudicij non ſuffecturas:ſicut nec exquiſitam victus rationem initio ſtatim imperamus, in longiore morbo. In turgente verò materia, vt ſine magna violentia, purgatio adhibetur, ita extenuantia non admodum violenter agent, cum hu-

mor non ſit ita craſſus. Item, ſemel tantum, quaſi rapta occaſione, extenuantia propinabat Galenus. Præterea, quando morbus eſt acutus, etiamſi vires ex purgatione, & incidẽtibus initio affligamus, non tantum ſequetur incommodum, ſicut in morbo longiore, à craſſis humoribus: in quo naturã valentem ſeruare molimur, vt in tempus iudicij ſufficiat. eò magis, quia in principio longi morbi non poſſemus debitum extenuantium aſſequi finem. nam extenuamus, vt eductio, ſeu bona concoctio ſequatur: quod poſt multos dies fit in morbis longioribus.

Nihil deeſſe reor ad abſolutum ſermonem, de ſyruporum, ſeu ad purgationes præparationum, vario vſu: niſi quis, etiam ad referandos ſingulos corporis meatus, ſyrupos expoſcat. Ad quam rem, cognoſcẽdum primò, per quos meatus quæque pars ſit expurganda: id quod tradit Galenus libro ſeptimo, vndecimo, & decimotertio methodi, & ſecũdo ad Glauconem. Ventriculus enim vomitu, deiectionéque purgatur. Inteſtina, iocinoris caua, & lien, per inferiora. Hepatis gibba, renes, veſica, & venæ omnes per aluum, ſi multo vitioſo ſucco ſint referta: ſin modico, per vrinas. Cerebrum, per palatum, nares, & aures. Pectus & pulmo, per aſperam arteriam. His præmiſſis, ad ſingulas vacuationes tentanda præparatio, vt do-

cet Galenus libro vndecimo method. Nam ijs, quæ per aluum maiori pharmaco ſunt educenda, viam parabimus, mulſa, cibis humidis pinguibus & dulcibus, qui aluum lubricent: item clyſteribus, balanis, & aſſumptis pharmacis: vt caſſia, manna, & cæteris. Dixi maiori pharmaco: nam ad leues purgationes, non magna requiritur præparatio. Simili modo, ad maiorem vomitum præparabimus, leuioribus vomitorijs præmiſſis: vt aqua calida, aqua hordei, mulſa, oxymelite, oleo, & ficubus recentibus copioſius ingeſtis. Hæc à cibo tentabimus, quia facilius tunc eſt vomere: deinde, ſi opus eſt, etiam ante cibum. Corpus quoque pluri cibo & quiete humectabimus: concalfaciemus manus & pedes, ac etiam partes circa os ventriculi. Deinde alia faciemus, quæ iubet Hippocrates in libro de ratione victus priuatorũ. & Paulus lĩ. ſeptimo, capite decimo: vbi varios propinandi hellebori modos recẽſet. Siqua verò vrinis educenda ſunt, diureticis leuioribus viam parabimus. ſunt enim alia alijs acriora. Ad hæc, cibi multo mitiores, vt vinum album & alia tenuia. modicè etiam vrinas ciet dilutior mulſa, decoctum cicerum, cũ radice petroſelini. Quæ tuſſi & ſputo educenda ſunt, ſimili ratione, arteria humectata, & bechicis leuioribus, adiutabimus. Cerebro expurgando, meatus, qui per palatum & nares deſcendũt, errhinis & apophle-

gmatiſmis fluidos reddemus. Materiæ copiam ad has locales expurgationes, per ſingula capita tradit Aëtius, libro tertio, & Oribaſius libro ſecundo ad Euſtadium, ex qua facile eſſet ſyrupos componere. Sed quia ſuperuacaneum id eſſe quis meritò iudicaret, ſatius erit ſubſiſtere, quàm in ſyruporum formulis æmulandis, oleum & operam perdere. Vna ſupereſt de liene dubitatio. ſcribitur enim ſecundo ad Glauc. Inteſtina per inferiores excretiones purgare. Quemadmodum & ſplenem & renes per vrinas. Reſpondeo, Galenum lib. 13. metho. apertè demonſtrare, lienem non per vrinas, ſed per inferiora purgãdum: cùm nulla ab eo in renes via pateat, niſi quid ab eo in hepar regurgitet, quod vrinis poſſit excerni. Nec Galenus ad Glauconem oppoſitum docuit. Sed interpres male collocata habuit puncta in codice græco: cuius verba ſic habent: ἔντερα δὲ, ταῖς κάτω διαχωρήσεσιν, ὥσπερ οὖν καὶ πλῆνα. καὶ νεφρὸς μὲν, ταῖς δι' οὔρων. id eſt, Inteſtina autẽ per inferiores excretiones, quemadmodum & ſplenẽ. Et renes ſanè, per vrinas. Dictio enim μὲν, initium alterius ſententiæ in renibus facit. Hunc locum ita caſtigandum cenſebat diligẽtiſſimus ille Galeni reſtitutor, & de re medica optimè meritus, Guinterius Andernacus, cùm græcè loquentem Galenum publicè apud Pariſios enarraret.

Secunda eſt non contẽnenda dubitatio, circa id quod de aſſuefaciẽda ad deiectiones natura, ex ſexto de ſanitate tuenda, paulò antè relatũ eſt. Nam ex vſu purgantiũ corpora in malam trahi conſuetudinẽ, docet Galenus apho. 15. libri tertij. Item, nõ vnico medicamẽto, ſed varijs id fieri debebit: cùm doceat Gal. lib. 5. ſani. tuẽdæ, mercuriali, marina braſſica, quam vocãt ſoldanellam, cnico, & terebinthi reſina, viciſſim aluũ ſoluendam. Nam, ſi ſoli vni (inquit) aſſuefacta fuerit, eius vim contemnet. At, ſi toties in febribus deijcias, vires conuelles, anteq̃ aſſuefacias. Adde, per clyſteres non commodè aſſuefieri naturam: quin potius eis irritata, ſponta neæ excretionis obliuiſcetur, vt ait Paulus lib. 1. cap. quadrageſimoquarto. Reſpondeo, in aphoriſmo loqui Galenum de iugi vſu integrè purgantium. Nos hîc non ita, nec iugiter: ſed ſemel aut iterum præparatoria vtimur alui deiectione, ſi dentur induciæ. Nec aſſuefactio hîc dici poteſt. Nam illa multis vicibus paratur. Nobis vel ſemel deieciſſe ſufficit, ad viam indicandam futuro pharmaco: ne rem inconſuetam, & hora inconſueta, moleſtè ferat natura, meatu præſertim non reſerato. Finem toti tractationi imponere hîc potuiſſem, niſi & cõtroueſum eſſet, quid poſt purgationes agendum. quam rem paucis attingere, non ab re fore iudicaui.

Quid poſt purgationes agendum. Sermo ſextus.

POſt purgatiões practici lauatiuũ, ab eis dictũ, propinant, paulò ante cibum, quatuor vel quinque horis ab aſſumpto pharmaco, ſeu poſt binas, ternas, aut plures alui deiectiones. Propinant verò ptiſanam, aut primum pulli decoctũ, inſipidum, vt celerius deſcendat, nec à natura in alimentum rapiatur. Hoc præſidio vtuntur ipſi, quando medicina eſt tertij aut quarti gradus. nam ſi ſit imbecillior, non ſubeſt neceſſitas. eò magis, quia tardius ea aget: & abluente, aut detergente propinato, cogeretur immaturè deſcendere, exoluereturque eius operatio. Vbi verò valentius eſt pharmacũ, maior eſt neceſſitas ablutionis ventris & inteſtinorum, vt reliquiæ medicamenti vel acriorum humorum abigãtur: & alteratio, à calido & ſicco illata, tollatur. Eadem ratione etiam ſequenti die clyſteribus abluunt, præſertim ſumpta ſcammonia, quam nocere inteſtinis tradit Galenus libro duodecimo method. Nam ſolent eius particulæ quædam, in rugis inferioris inteſtini relinqui, quæ ibi ſe inſinuantes, pungendo teneſmum inducunt. Ita practici, qui & opiatis, & confectionibus poſt purgationes vtuntur, ad reliquas materiæ abſu-

mendas,& partes roborandas. Hippocrati verò & Galeno alius fuit abluendi ſcopus, libro ſecundo de ratione victus acut. & libro quos oporteat purgare. Nam protinus à pharmaco ſumpto, ptiſanam ſorbere iubent, vt tollatur oris ventriculi læſio. Subſtantiæ enim medicamenti aliquid aſſumens os ventriculi, læditur, & ab eius noxia qualitate alteratur: quæ ambo tollit ſorbitio ptiſanę. Dãnabúntne igitur Hippocrates & Galenus praxim neotericorũ? Mihi ſanè non videtur. Nam eadem ratione ſubueniunt hi ventri & inteſtinis, qua illi ori ventriculi. imò vnica ablutione vtriſq; noſtri ſubueniunt. Nam læſio oris ventriculi non deprehenditur ita vehemens ante quatuor horas: nã ſimul cum pharmaco ipſo propinantur odorata, & quę vocãtur correctoria: vt cum ſcammonia, maſtiche & dragagantum. Si de læſione tamen dubitetur, tutius eſt ei protinus occurrere: prę ſertim quando os ventriculi eſt calidum & ſiccum. nam grauis eſt tunc læſio in febre acuta, & à pharmaco calido & ſicco. de quibus loquutus eſt magis Hippocrates. Nec id tamẽ ſine ſubſidio neoterici dimittunt. quinimò poſt aquæ calidę ablutionem, etiam ſuccum frigidum & adſtringentem mox propinãt, vt malorum granatorum, vel vuæ acerbæ. Poſtea verò, læſioni fundi ventriculi & inteſtinorum, ex medicamenti reliquijs obortæ, optima ratione

videntur ſuccurrere. At dices, ab Hippocrate & Galeno prohiberi abluentem ſeu detergentem ſorbitionē, in media purgatione, ſeu poſtquam purgatio cœperit. Meritò quidē id prohibent, vbi cœperit pharmacum operari: ſed non, vbi fuerit eius vis explicata. Eadem ratione cibum prohibent. ergo quum licebit comedere, licebit abluere. Quando ſufficiens eouſq; erit temporis intercapedo, in qua valens pharmacum ſuas vires exerat. Non enim manet in ventriculo poſt quatuor horas: ſed per inteſtina pulſum deſcendit, & deſcendendo humores attrahit: vt iam tunc liceat ventriculum abluere. Nec impediet excretionē talis ablutio, imò iuuabit. impediret tamen, ſi immaturius adhiberetur. Itaque praxim communem ego non damno. imò crederem nocere ptiſanam, ſi poſt mitia & benigna pharmaca mox ſorbeatur. ſed ſufficit ad vomitum arcendum pomum mordere, aut ſaccarum, vel rem aliam dulcem ſeu puram aquam deglutire, & faciem & os lauare. Quòd poſt vacuationem ſit pars roborāda, præceptum eſt Galeni libro ſeptimo ſimplicium medicamentorum, capite de centaurio maiore, & paſſim in libro de compoſitione medicamētorum ſecundū locos, ſecundo ad Glaucon. & decimoquarto methodi. Sed poſtquam eouſque ſermo noſter progreſſus eſt, addam rationem doſeos, ſeu modi medicamentorum,

inter veteres,& neotericos tam variæ: cùm ea ex vſu dictarum ſorbitionum colligatur. Nec dubitarem ego, cuiuſuis medicamenti maiorē doſim propinare, quàm noſtri propinent, ſi mox detergens & abluens ſorbitio ſequatur. quoniam ea celeriter deſcendere pharmacum coget,eiúſque vires & nocumenta reprimet. Quem morem antiqui ſeruãtes,maiores tutò propinabant medicamẽtorum modos,quàm nos audeamus. Sed iam receptui canere, & noſtro libello finem imponere,tempeſtiuum videtur.

FINIS.

ERRATA.

Folio 14. facie 1. linea 7. lege, aquoſum œdema.
Folio 31. facie 1. linea 8. lege, ſit puri alimenti.
Folio 43. facie 1. linea 2. lege, author.
Folio 52. facie 1. linea 1. lege, quæ obſtruit.